ORATIO

QVVM

AVSPICATISSIMVS NATALIS
SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE
REGIS AC DOMINI

FRIDERICI
QVINTI

DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM
GOTHORVMQVE REGIS
SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE
DITMARSIAE DVCIS
OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI
COMITIS

PRIDIE CAL. APRILES A. CH. N. CIↃIↃCCLVII

IN ILLVSTRI VNIVERSITATE LIPSIENSI

AB ILLIS

QVI TVNC IBI LITTERARVM CAVSSA MORABANTVR

DANIS ET NORVEGIS

SOLEMNI RITV CELEBRARETVR

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM

HABITA A

PAVLLO BERNARDI FIL. VIDALINO

ISLANDO.

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE

REGI ET DOMINO

FRIDERICO

QVINTO

DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM

GOTHORVMQVE REGI

SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE

DITMARSIAE DVCI

OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI

COMITI

DOMINO SVO

INDVLGENTISSIMO

HOC

HOC QVALECVNQVE OPVSCVLVM

SVMMAE ET DEBITAE PIETATIS DOCVMENTVM

SACRVM ESSE VOLVNT

QVI HVNC FELICISSIMVM

OPTIMI REGIS

NATALEM

COMMVNITER CELEBRARVNT

ILLIVS NVMINI MAIESTATIQVE

DEVOTISSIMI

VNIVERSITATIS LIPSIENSIS

E DANIA ET NORVEGIA

EO TEMPORE CIVES

VERNERVS comes a *SCHVLENBVRG*

FRIDERICVS CASIMIRVS a *LEVENFELD* e nob. avl.

IOANNES COLLET cancell. dan. secr.


LAVRENTIVS CLAVSSEN hafn. med. c.

BALTHASAR CHRISTIANVS CLAVSSEN hafn. ivr. vtr. cand.

IVLIVS LENTZ hafn. ivr. vtr. cand.

BARTHOLDVS VESTENGAARD hafn. theol. cand.

PAVLLVS BERNARDI F. VIDALINVS islandvs hvmanitatis stvdiosvs.



REGIS ad auguſtos aude, liber, ire penates,

Qui Noruega potens Dana que ſceptra tenet.

Quid trepidas? non hac veniunt fera fulmina ab arce:

Non ſunt haec vlli limina dura probo.

Sola domos bonitas illuſtrat: gratia ſola

His habitatorem monſtrat adeſſe DEVM.

Ipſe tuas metuis mendas incultaque verba:
Pectus ad addictum reſpicit ILLE SIBI.
Vt teneri caro prope balbutire parenti
Infirmo pueri ſaepius ore ſolent;
Et patitur genitoris amor, fouet atque loquentes,
Et capit ex blandis luſibus ipſe iocos:
Sic PATRIS ILLIVS MAIESTAS hos quoque luſus
Noſtraeque haud ſpernet munera Calliopes;
Paruum opus at magna natum pietate venire
Dum videt, adque SVOS ſoluere vota pedes:
Vota quibus ſupplex alto petat ab Ioue, laetum
HVNC patriae et nobis ſeruet vt vſque PATREM.

ODE

O D E

ANTE ET POST

O R A T I O N E M

INTER SYMPHONIAS MVSICAS

C A N T A T A.



DANIA, NORVEGIA, CHORVS.

ANTE ORATIONEM.

DANIA. O dies, regni DOMINO gemelli,

NORVEGIA. O dies, ſummo PATRIAE PARENTE,

VTRAQVE. O dies, nato mihi FRIDERICO

Aurea, ſalue.

DANIA. Surge, quae Nori * geris alma nomen,

O ſoror: SIDVS veneremur ortum

Maximi REGIS, meritosque demus

Thuris honores.

 SIDE-

* Noruegia ſignificat viam Nori, qui primus per eam regionem ſororis raptae quaerendae gratia iter feciſſe traditur.

NORVEGIA. SIDERIS TANTI radioſ adorans
Surgit en Europa potens et orbis:
Cuncta ſe fidis ſociare feruent
Gaudia Danis.

DANIA. ILLE bacchantem PATER omne circum
Littus et terras fugat hinc Gradiuum:
Nullus has IPSO petet hoſtis oras
Sceptra tenente.

NORVEGIA. ILLE dat vires facie ſerena
Ciuibus fortes animosque laetos;
Iamque felicem SIBI ferre grates
Conſpicit Arcton.

VTRAQVE. REGIS excelſum celebrate NVMEN;
Dicite et cuncti pia vota, nati:
Audiat plauſus reſonetque noſtros
Vltima Thule.

POST

POST ORATIONEM.

CHORVS.

Qui graui mundum ſuperos que nutu
Temperas, diuûm Pater atque princeps;
Quique mortales cumulare gaudes
Optime donis:

Si tibi curae eſt tua Dana proles:
Lenis exaudi, pueri et puellae
Quas preces fundunt, mulier que vir que et
Cana ſenectus.

Tu Deus ſumma bonitate primus:
Proximus fulget tibi FRIDERICVS
Danicis terris deus alter atque
Numine praeſens.

HIC diu tutela SVIS et adſit
Mille largitor ſapiens bonorum;
Et comam centum potiore lauris
Ornet oliua;

Quemque foecundum Borean tepere
Iam docet, ſoſpes regat; atque noſtra
Carior vita repetat paternum
Serus Olympum.

Regio CONIVX thalamo beata
Floreat; magni SOBOLESque REGIS:
Quae PATRIS ſeruet referentia aurum
Tempora priſcum.

Vna nam regnis DOMVS HAEC duobus
Dum ſalus et ſpes et amor manebit:
Nil valent maius petiiſſe ciues,
Nilque Camenae.

ORA-

ORATIO

DE

SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI

FRIDERICI QVINTI

DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM GOTHORVMQVE REGIS DVCIS SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE DITMARSIAE COMITIS OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI

REGIIS

ERGA

ISLANDIAM

BENEFICIIS.



O R A T I O.

Quis non applaudat tibi dulcissima patria? Quis non gaudeat tecum hanc lucem omni alia feliciorem aspicere, quam primam vidit ille tibi caelitus demissus FRIDERICVS QVINTVS? Quis non hunc optimum PRINCIPEM veneretur, qui cum omnem Regis et Domini potestatem SIBI simul ac diuis SVIS Maioribus Posterisque olim Regale fastigium assecuturis a te ipsa diuino aliquo instinctu sponte tua oblatam

poſſideat optimo iure atque perfectiſſimo; nihil tamen agit, quod non magis Patris, eiusque ſapientiſſimi ſimul ac liberorum amantiſſimi, quam Regis ac Domini videatur eſſe? Quis ex tuis non geſtiat ILLVM ſaluum videre, in cuius vnius ſalute tot millium ſalus atque felicitas continetur? Quis peregrinus etiam non tecum omnia ſua gaudia, omnia vota coniungat, vt IS quam diutiſſime laetus atque incolumis Daniae ſuae praeſideat, quem non illius modo, verum etiam vniuerſi terrarum orbis decus et delicias merito eſſe, nemine id non aiente, idemque ſuo ipſius pectore confirmante, ſentit atque fatetur? Hodie non fas erit, vt ſol quemquam triſtem conſpiciat, qua patet Potentiſſimi REGIS, noſtrique ſimul ac Patriae noſtrae PARENTIS imperium latiſſime diffuſum. Nemo hic miſer, nemo pauper erit, diuite patria, florente EO, qui patriam vndique SVA gratia fouet atque tuetur; quique SE IPSVM eo vno felicem eſſe exiſtimat, quod populum regat SVO beneficio feliciſſimum. Neque vllus etiam ILLIVS in ditione ſiue natus, ſiue educatus, ſiue etiam aliquamdiu moratus nutritusque, ſiue demum extra eam munere aliquo Regiae gratiae ornatus tam longe a dilectae noſtrae Daniae finibus erit remotus, quin hodie cogitet, quid debeat ILLIVS MAIESTATI, et quo pacto id potiſſimum ſoluere poſſit. Nemo non optabit dignum ſe tanti PATRIS amore oſtendere. Nemo non ſibi ipſe imperabit, vt omnibus viribus eo contendat, quo REGEM contendere videt, nempe vt bene ſit reipublicae; huic

autem

autem nunquam magis prodeſſe poterit, quam ſi REGI profuerit ſummo illius benefactori. Nemo non in caelum mittet ardentiſſimas preces pro ſalute optimi REGIS et vniuerſae DOMVS AVGVSTAE. Nemo non gaudens ſummo Deo gratias aget, quod huc vſque preces Danorum tam propitius audiuerit et nunc audiat, ſinatque adhuc PRINCIPEM numini ſimillimum inter SVOS morari, et ſoſpitem et omnibus bonis cumulatum hunc etiam SVVM natalem tam SIBI quam regnis borealibus fauſtiſſimum concelebrare. Praeſens iam mihi videor videre laetitiam publicam. Quanta diei celebritas! Quanta conuiuia! Quanta gaudia! Quanta vota! Quantae ſupplicationes! Quam frequens exſultantium clamor! O diem felicem, et candido calculo aeternum notandam! Viuat REX! Viuat PATRIAE PATER! Viuat FRIDERICVS QVINTVS!

Ignoſcite, Rector Academiae Magnifice, Illuſtriſſimi Comites, Vosque, quotquot adeſtis, vel generis nobilitate, vel munerum ſplendore, vel doctrinae artiumque liberalium et eruditionis laude excellentiſſimi, omnes optimi Auditores: ignoſcite huic noſtrae pietatis ardori, qui cum tantus ſit, vt intra anguſtos nimis noſtrorum pectorum limites et quaſi carceres contineri non poſſit, iam plenis erumpit flammis, non talibus quidem vnde vlla his locis incendia ſint metuenda, ſed lenibus tantum et iucundis et ita comparatis, vt vel propius accedentem non vrant ſed calefaciant, neque vllo dolore, ſed gratiſſimae potius et puriſſi-

riſſimae oblectationis ſenſu afficiant ſpectantium foventiumque animos. Quod cum nec Veſtram, Patres huius Vniuerſitatis Conſcripti, ſapientiam lateret, pro ſolita Veſtra erga omnes, praeſertim vero peregrinos et litterarum virtutisque ſtudioſos et eruditae Veſtrae reipublicae ciues, humanitate atque benevolentia arbitrati eſtis, dandum eſſe aliquid iuſtiſſimis noſtris erga patriam eius que optimum PARENTEM affectibus: neque ſolum vt iisdem hodie laxiores habenas permitteremus, benigniſſime indulſiſtis; verum etiam noſtra gaudia augere et condecorare Veſtra praeſentia eaque frequenti, qua nunc ſplendidum hoc auditorium ſuperbit, non dedignati eſtis: beneficium, quo maius nobis tribuere potuiſſetis nullum, ſi illud vnicum excipiam, quod aſſiduo et indefeſſo labore animis noſtris ſapientiae artium que et morum praecepta ingerere nunquam deſiſtitis: quae nos vt nunc, ita etiam ſemper oſtendere conabimur, non prorſus incaſſum ſparſa ſemina, ſed fructus tuliſſe, ſi non tam vberes eximios que, quam id Vobis ſerentibus fas erat exſpectare, attamen tales tantos que, quales per noſtras vires praeſtare licebit plurimos, et Veſtris votis quam maxime reſpondentes. Ipſa autem illa, quam a Veſtro ore quotidie haurimus, doctrina, ipſa illa pietas, quam ex omnibus Veſtris actionibus diſcimus, exigere videtur a nobis, vt id nunc agamus, quod agimus; eo que maxime videtur, quod probatur a Vobis: neque enim Veſtra permiſſione, neque praeſentia gaudere

dere

dere ei contigiſſet, niſi probaretur. Noſtis Vos indolem mortalium, quibus ipſa etiam laetitia fere oneri eſt, niſi habeant, quibus cum eam communicare, et quos bonorum ſuorum quaſi participes reddere poſſint. Videtis nunquam ſatis praedicandam Daniae felicitatem, quae, dum plurima finitima regna et regiones, et inter has ipſa proh dolor! Saxonia, vel bello ipſo, vel belli incommodis aut metu concutiantur, inter medios iſtos Martis ſtrepitus alta pace ſecura quieſcit, et inſuper magis magisque in dies floret et augetur: quae bona omnium maxima cui accepta referat, niſi poſt ſummum Deum ſummo illius apud SVOS vicario et imitatori FRIDERICO QVINTO? Nec ignoratis, quanta inter Potentiſſimum hunc REGEM et Auguſtiſſimam Domum Saxonicam neceſſitudo intercedat, et quam arcto nunc amicitiae, nunc foederum, nunc ſanguinis vinculo a primis iam inde temporibus fuerint coniunctae: quae omnia per ſe ſatis efficacia futura videntur ad conciliandos nobis animos Veſtros de optimo REGE dicturis. Si autem vel haec omnia abeſſe fingamus, ſunt iis maiora, quae rem noſtram Veſtro fauori commendent. Eſt virtus in REGE noſtro ſumma: eſt etiam in Vobis, Auditores, tanta, vt non ſinat Vos quemquam illa excellenter praeditum videre, quin ei, etiam ſi nihil inde commodi aut compendii ſperare poſſe videamini, ſtatim addicti fiatis. Amplectitur praeterea ILLIVS MAIESTAS eandem Vobis cum ſacrorum doctrinam, eam que tuetur, et inter gentes terrarum

longiſſime a SE nobisque diſſitarum incolas ingenti molimine et magnis ſumtibus propagat: neque dubitandum eſt, quin, ſi eadem in quacunque Europae parte, cui ILLE ſuccurrere poſſet, vim pateretur, IPSIVS potentiam acerrimam ſuae libertatis vindicem eſſet habitura. Quid de pacis ſtudio dicam? quod cum magnum hunc REGEM nec vires firmiſſimae, nec conſilium prudentia et conſtantia plenum, nec validiſſimum animi in rebus gerendis robur deficiat, proprium tamen ILLIVS MAIESTATI eſſe videtur: neque enim contentus, quod IPSE exoptatiſſima fruatur pace, eandem etiam quibusuis aliis finitimis populis omni ſtudio impertiri conatur: ignotumque nemini Veſtrum eſſe arbitror, Auditores, quam impenſe optet ILLIVS MAIESTAS vniuerſae Europae, inprimis autem Saxoniae Veſtrae ſibi amiciſſimae, pacem amiſſam reſtituere, et quanto iam ſtudio hoc ſaluberrimum conſilium fuerit proſecutus, nec vllam tamen inde mercedem accepturus, niſi quod videat bene eſſe reipublicae Saxonicae, quippe quod tam propter Sereniſſimae Domus Regnatricis, quam propter ipſius huius reipublicae amorem cupit atque vnice expetit: quod piiſſimum REGIS noſtri votum ſi nondum Deo optimo maximo placuit, vt eos haberet effectus, quos et ILLIVS MAIESTAS, et hae terrae, et vniuerſa Europa omnesque boni exoptant; et ſi nunc Marte nouos vndique furores minante prope omni ſpe deſtitutum videtur: forte tamen aliquando, ipſaque ſpe longe citius, tempus et occaſio redeant,

qui-

quibus efficere possit, vt res istae quamuis grauissimae ad talem perducantur finem, qualem quisque sibi optimum proponere queat. Huic igitur REGI, huic PACIS STATORI, cuius hic dies natalis est, hunc etiam diem aequum est, vt sacrum iubeamus esse. Quamquam enim nobis, quibus ILLIVS sub ditione lenissimoque imperio nasci contigit, non vnus quidem dies, sed omnis vita ILLIVS MAIESTATI est consecranda: tamen hunc ipsum diem, qui tam laetum patriae nostrae sidus protulit, non possumus non omnibus aliis anteponere; hoc die praecipue diuino numini gratias agere, quod nobis tam carum tamque amabilem PRINCIPEM dederit, et vt EVM quam diutissime nobis conseruet, iunctis animis, precibus ardentissimis efflagitare. Placuit itaque omnibus popularibus nostris, quotquot in celeberrima hac litterarum sede nunc artium optimarum scientiaeque studiis vacant, inter quos eminet Illustrissimus Comes a Schulenburg, praecipuum nunc huius auditorii decus; placuit inquam omnibus illis eam mihi prouinciam deferre, vt coram Vobis, optimi Auditores, in hoc loco laetitiae communis piorumque votorum interpretem qualemcunque palam agerem; neque ideo animos suos ab hoc homine eam in rem eligendo auocari passi sunt, quod in suo grege numeroque minimum atque vltimum esse sciebant; fortunis enim non etiam pietate minimum esse, nec iniuste quidem, vt spero, existimarunt. Ego vero quam graue quamque impar viribus

meis onus ſubeundum eſſet, iam ſtatim animo praecepi. Quippe mihi intellegebam incumbere, vt digna tam eruditi ac ſplendidi auditorii auribus; digna Illuſtriſſimi generoſiſſimorum nobiliſſimorumque popularium votis et exſpectatione; digna Philureae omni humanitate excellentis ciue, Veſtroque, Patres Conſcripti, diſcipulo; digna denique eo REGE, quem ſeptemtrio noſter maximum vidit, nec vnquam alium maiorem videbit, proferrem. Nec me latebat nimia mea in artibus, praeſertim autem ea, quae reliquis omnibus nititur, et quaſi in iis incumbit et reclinat, ipſa earum regina, eloquentia: qua cum plurimi ex Vobis, Auditores, egregie polleant, metuendum mihi fore arbitrabar, ne taedium Vobis excitaret oratio inculta et omni artificio et ſale et floribus rhetoricis, eo item vigore et robore deſtituta, quod res et materiae grauitas poſtularet. Sed vniuerſa atque ſingula obſtacula, quae me deterrere potuiſſent, vincebat ille impetus, quo ferebar, gaudia mea de optimi REGIS et patriae ab ipſo procurata ampliſſima felicitate effundendi. Materies dicendi mihi ſe ſponte ſua offerabat, tam pulcra tamque abundans, vt etiam ſi nullo adhibito verborum fuco vel lenocinio Auditorum oculis quaſi nuda proponeretur, non poſſet tamen non naturali ſua honeſtate et decore, pulcerrima, vt eſt, ita etiam videri; immo ipſa hac ſua ſimplicitate gratiorem futuram ſperaui, quam ſi vanis hinc inde petitis ornamentis tecta et adulterata procederet in medium.

Mini-

Minime his opus eſt ei, qui dicere voluerit laudes FRIDERICI QVINTI, modo facta nouerit: quot enim facta maximi REGIS ſunt, tot etiam ſunt laudes: neque tam timendus vel indiſerto videtur verborum aut materiae defectus, quam temporis. De laudibus dixi: ſolent enim in talibus orationibus, quae in principum honorem habentur, ex more noſtrorum vt et antiquiorum temporum encomia eorumdem pronunciari. Mihi non id propoſitum eſt: nam neque id permittit ingenii mei imbecillitas: et ſi id permitteret, quid ſoli lumen affundere et EVM laudare conarer, quem nemo non laudat? Sufficiet igitur mihi aliquid de factis ILLIVS REGIS diſſeruiſſe: quae, ſi laudatorem nunc agere vellem, deberem etiam meritis elogiis efferre, idque ſine omni non modo adulatione, verum etiam adulatoris ſpecie ac ſuſpicione fieri poſſet, quum nihil neceſſe ſit fingere, ſed omnia nota, omnia in aprico poſita. At ea tam illuſtria facta, nec laudibus indigent, nec ipſa etiam enumeratione: quamuis autem notiſſima ſint, iuuat tamen eos, qui et viderunt, et commoda inde fructusque plurimos perceperunt, eadem quam ſaepiſſime grata mente recolere, ne vel ipſi obliuiſcantur beneficiorum, vel videantur acceptorum obliti. Verum enim vero ſi omnia REGIS ſapienter et praeclare facta nunc breuiter etiam recenſere vellem, quantum temporis ſpatium mihi a Vobis expetendum foret, Auditores? Putatis ne totum hunc diem ſuffecturum? Ego quidem vix arbitror. Duo

iam, et quod excurrit, luſtra ab eo tempore effluxerunt, quo Potentiſſimus Daniae REX ſolium paternum conſcendit: duoque fere luſtra praeterierunt, ex quo audiuiſtis ipſo inaugurationis die perſonare templum celeberrimae huius Academiae eiusdem optimi PRINCIPIS laudibus a generoſiſſimo Iuuene recitatis, quum ILLIVS MAIESTAS nondum per vnius anni interuallum clauum reipublicae tenuiſſet: et tamen in ea oratione quot et quantas easque omnes veriſſimas laudum praedicationes audiuiſtis? Quid nunc exiſtimatis, ſi idem PRINCEPS inde per hos decem annos ita perrexerit mitiſſima ſceptra gerere, SVISque benefacere, vti eo regiminis initio coeperat, annon nunc decuplam quoque gloriam ſit promeriturus? Atqui ab eo tempore non aequauit modo IPSIVS bonitas quolibet anno eam ſui menſuram, quam primo illo tam exoptato auſpicatoque regni primordio compleverat, verum ſuperauit fere creuitque in dies vna cum fama REGIS et gloria; plusque praeſtitit SVIS exterisque emolumenti, plusque a Deo optimo maximo recepit felicitatis, virtutis Regiae et vere heroicae praemium, quam tunc quisquam vel ſpe praeſagire vel votis potuerit aſſequi. Tempore enim illo inaugurationis oratori iam licebat venerari antiquiſſimum Stemma Domumque Heroum foecundiſſimam, neque eo ſolo reliquis, quotquot nunc per vniuerſam Europam regnant, feliciorem, quod per non interruptam trecentorum annorum ſeriem gubernacula regnorum borea-

borealium tenuiſſet; ſed eo quoque, quod haec ſe regente beata reddidiſſet, longe feliciſſimam; quodque ex ſe genuiſſet FRIDERICVM QVINTVM: qui gloriam Proauorum ab iis quaſi haereditate aliqua acceptam tunc demum SVAM arbitratur eſſe, ſi eam SVIS iisque ingentibus meritis auctam diuis Maioribus tanquam cum foenore reddiderit. Licebat extollere indolem REGIS, tam artibus Principe digniſſimis ediſcendis, quam virtutibus exercendis natam factamue; totque iam a tenerrima vſque aetate edita eximia illius ſpecimina. Licebat admirari eam animi magnitudinem et conſtantiam, qua adoleſcens adhuc ILLE adoleſcentum maximus, ſpem regni vicini, quam partim ex ſanguinis cum priſca illius domo Regnatrice coniunctione, partim ex iure SIBI ab ipſis regni ciuibus multisque inter eos proceribus per electionem dato, facillime capere potuiſſet, miſit; maluitque patriam ſolam ſed florentem et quietam regere, quam peregrini regni acquiſitione committere, vt SVORVM felicitas, SVORVM tranquillitas quocunque modo periclitaretur. Licebat ex auſpicatiſſimo PRINCIPIS cum LVDOVICA BRITANNICA, quam vnam ſibi genere, forma, virtute parem inuenerat, eque AVGVSTA SOBOLE, quam ex ILLIVS foecunditate iam tum ſuſceperat; licebat ex REGIS erga diuum PARENTEM pietate, quam, non modo Regia magnificentia iuſta EI ſoluendo, ſed confirmando etiam, et imitando ILLIVS ſapienter acta et inſtituta monſtrauerat; licebat ex pace

cum Algirensibus inita, et amicitia cum omnibus Europae populis seruata et confirmata; licebat ex instaurata Regia Academia Sorana, quae nunc magno tam illustrium et generosorum iuuenum, quam magistrorum in quouis artium scientiaeque genere praestantissimorum numero floret; licebat ex REGIS erga ciues vniversos, atque vicissim ex ciuium vniuersorum erga REGEM amore: ex his inquam omnibus tanquam signis indiciisque minime ambiguis certo augurari licebat, Danos, si ius iis daretur eligendi fingendique Regem, qualem et quemcunque ipsi sibi maxime optabilem putarent, nullum alium eligere vel voluisse, vel sapientia duce potuisse, quam EVM, quem nunc ab ipso Deo sibi datum electumque accipiebant, eoque laetiores amplectebantur, quod meliorem sibi contingere posse omnes vno ore animoque negarunt. Quid autem nobis reliquit generosus ille Orator? Tempusque, quod iam inde ab illo effluxit tempore, quid noui nobis dicendum suggessit atque ministrauit? Hic quid primum proferam, nescio: cum singula REGIS facta adeo magna sint et illustria, vt vnum quodque primarium locum iure sibi postulare et vindicare videatur. Desiit illa mercatorum societas esse et pristinum exercere monopolium, cuius solius nauibus ex Dania Indiam occidentalem siue Americam commerciorum caussa antea frequentare licebat, omnibusque omnino ciuibus facultatem reliquit, terras portusque, qui ei soli olim patuerant, nunc pro lubitu adeundi, et ex

ad-

aduectis mercibus quantum possent lucrum capiendi: itaque paribus hic ciuibus paria sunt iura. REGIS id quidem iussu factum est, qui pro naturali insitaque SIBI bonitate ita voluit paucos ex SVIS ditescere, vt caeterorum commodis non obessent: ita vero etiam, quod maxime admirandum est, multitudini illi vniuersae mercantium consuluit, vt societati, cui nunc ius monopolii amittendum erat, simul prospiceret, ne vllum ex noua et reliquis tam proficua mutatione damnum caperet: idque quomodo effecit? Emit omnia illius societatis bona, pecunia ex SVO fisco sumta, immensis et vere regiis opibus; emit aliis SVO aere diuitias, seu, quod perinde est, libertatem eas colligendi. Idem alio etiam pacto praestitit, dum pace cum omnibus populis, qui in Africa et Asia mare mediterraneum accolunt, et maximam partem artibus piraticis infestant, sancita, securitati SVORVM mercandi gratia nauigantium ita prospexit, vt nunc quemcunque portum, quamcunque earum regionum ciuitatem adeant, inter eos, qui alias vniuersi humani generi hostes appellari mererentur, nihil inueniant nisi amicos: ita barbaris illis in alios contra naturam et humanitatem omnem furentibus exuit saeuitiam, suaque lenitate repressit, vt dum nemini prope Christiano non sint infensi, Danis iam non amplius noceant, sed et ipsos et eorum REGEM comiter colant et venerentur. Neque ab hoc proposito deterreri se passus est ingentibus, quae obstabant, difficultatibus; non sumtibns im-

mensis; non barbarorum, quam initio expertus fuerat, perfidia et immanitate; non Regis alterius minis et inimicitia, qui se eo pacto, quanquam nihil laedebatur, laedi tamen putabat: omnia haec superauit prudentia et constantia FRIDERICI QVINTI, cui nihil magis ante oculos erat, quam amor ille paternus erga SVOS, quo IPSIVS MAIESTAS SVA commoda commodis ciuium postponenda censet; existimat que eum principem longe beatiorem esse, qui suorum opes augeat, quam qui suas. His et innumeris aliis beneficiis mercaturam Danicam iuuit atque promouit. Quid de ipsis imperii limitibus solis pacis artibus sine bello et sine omni vicinorum principum iniuria, immo cum maximo ipsorum non minus quam Daniae emolumento extensis dicam? quid de ipsa regni metropoli Hafnia: cui nouam partem siue potius vrbem addidit, et ipse magnifice exstruxit; vtramque autem tam veterem illam quam nouam vrbem palatiis, templis, nosodochiis aliisque aedificiis, quae spectantium oculos et admirationem quotidie ad se rapiunt, exornauit: inter quae nunc etiam praecipue numeranda venit illa regali munificentia fundata et nuperrime suum culmen adepta domus, quae alendis pueris senibusque et viduis pauperioribus destinata est, quaeque hoc ipso die, forsan et hac ipsa hora inauguratur, impositoque sibi ab hoc magno ciuium nutritore FRIDERICO FRIDERICIANAE nomine gaudet? quid de instituta pictorum sculptorumque Academia, totque aliis

vere

vere ſapientibus conſiliis, vere regiis beneficiis, quibus artes, tam operoſas et quae manuum labore perficiuntur, quam liberales et humaniores, partim invexit in regnum, partim nutriuit, et vel fulciuit pecunia data, vel gratia et praemiis ad vlterius progrediendum excitauit? Quid plura memorem, quum haec, quae nunc leuiter tantum modo attingere libuit, iam ſine dubio fecerint, vt Vobis, Auditores, nunc videar maximam orationis meae partem protuliſſe, neque credibile putetis, reſtare adhuc adductis plura, aut paria, aut maiora regiae virtutis ſpecimina et monimenta: et tamen reſtant tot et tanta, vt ſi omnia enumerare conarer, metuendum mihi foret, ne haec oratio in eo ipſam REGIS gratiam imitaretur, quod nullos limites eſſet habitura: quae enim vnice regiae bonitati limites praeſcribit ſapientia, eadem etiam, vt illa limitibus careat, efficit. Mittam igitur, quae reliqua ſunt, innumera REGIS beneficia in medium proferre; neque ſinam, vt parua orationis meae nauicula tam vaſtum, tam immenſum pelagus ſuſtineat metiri. Liceat tantum modo vnum ex illis Vobis ante oculos ſiſtere, Auditores, ſed tale, quod mihi inſtar omnium eſt, quum ex eo ſolo intellegi poſſit, quanta ſit caeterorum magnitudo; et quum id patriam meam meumque ipſius animum afficiat maxime. Quippe mihi eam patriam habere contigit, quae remotiſſimam, et, ſi opes ſpectemus, minimam Danici imperii partem conſtituat: et tamen hanc quoque regia munificentia conſeruare,

erigere atque ornare non dedignatus eſt optimus patriae vniuerſae borealiumque regnorum PATER. Quam ob rem, *eà beneficia, quae in dilectam meam patriam Islandiam Sereniſſimi Potentiſſimique* REGIS FRIDERICI QVINTI MAIESTAS *contulit, non laudare quidem, laudibus enim meis longe maiora ſunt, ſed breuiter ſolum enarrare mihi propoſui:* omnia autem non dicam; etenim nec talia proferre libet, quae alii etiam reges ſolent praeſtare ſuis, quaeue antea patria noſtra ab vllo alio acceperit; nec omnia noui ſatis accurate quot et quanta ſint, quum per totum illud tempus, quo ita inſtaurari res noſtrae ab Optimo REGE coeperunt, non ab Islandia modo, ſed ab ipſa quoque Dania remotus in his terris vixerim ſtudiorum cauſſa; neque, ſi vel omnia ſatis cognita mihi eſſent atque perſpecta, ſcio, an anguſtis nimis huius orationis finibus includi et comprehendi poſſent. Contentus igitur praecipua REGIS erga hanc vltimam imperii partem beneficia allegaſſe Vobis ipſis relinquam, Auditores, vt inde colligatis, quanta in vniuerſas terras, quae mitiſſimis ILLIVS ſceptris parent, contulerit, vtque iudicium feratis, annon omnibus Danis, adeo que etiam nobis paucis quidem illis, quos hic debita pietate congregatos videtis, iuſta cauſſa ſit, hoc die laetitiam quantamcunque exſerendi, qui primus tam laetum fauſtumque patriae communi ſidus exoriri vidit, videtque adhuc et veneratur fulgentiſſimo ſplendore

conſpicuum. Veſtra autem Patres Conſcripti, Auditores omnium optimi, beneuolentia, Veſtro fauore in hoc propoſito exſequendo mihi maxime opus eſt, quem ea propter enixiſſime mihi expeto. Hic indiſerto facundiam, hic timido alacritatem, hic imbecilli virile robur animos que addat, ne infirmi humeri graui nimis materia atque onere ſibi impoſito opprimantur prorſus que ſuccumbant. Idem autem Vobiſcum mihi praeſtabit mea, atque vt ſpero, Veſtra etiam erga optimum REGEM pietas et animi deuotio ex ipſa ILLIVS virtute deriuata: haec me dicentem fulciet et confirmabit; haec Vos in audiendo patientes dictis que fauentes reddet, faciet que, vt neglecta loquentis imperitia ad res ſolas attendatis, atque vt malitis in honorem REGIS omni laude digniſſimi incultis verbis aliquid diſſerentem audire, quam ſi quis indignum aliquem principem Ciceronis eloquentia et Plinii acuminibus ſuper ſidera efferre conaretur. Sed cum iam ipſo vultu oculis que Veſtris, Auditores, mihi videamini Veſtrae benignitatis certiſſimam ſpem et fiduciam dare, cum que ille, quo tam ego quam omnes populares ducimur atque rapimur, incredibilis erga patriae noſtrae indulgentiſſimum PATREM amor, et flagrantiſſimum grati animi ſtudium me incitet: nunc ad praecipuum orationis meae ſcopum propius accedere audebo.

Spero autem non ingratum Vobis fore, Auditores, ſi ante quam rem ipſam, de qua me dicturum

promiſi, aggrediar, praemittam aliquam breuem illius regionis deſcriptionem, quae et mihi a Vobis tot beneuolentiae ſignis ornato prima incunabula, et Potentiſſimi, cuius imperio ſubiacet, REGIS munificentiae tam amplum praeſtitit campum. Inſula eſt in mari Atlantico a littore Noruegiae verſus occidentem ſita, et omnium Europaearam poſt magnam Britanniam tractu maxima: quae inſula an Thule veterum ſit nec ne incertum eſt, vulgo tamen putatur; hodie autem Islandia, ſeu terra glacialis dicitur, non quidem quod perpetua tegatur glacie, quod nonnullorum inſcitia falſo prodidit, ſed quod eo, quo primum incoli coepit, tempore, ad illius littora aliquando, vt ſaepe alias fieri ſolet, ex vicina Graenlandia immanis glaciei vis ventis delata fuerit: ſic enim annales noſtri referunt. Locum ei circa ſexageſimum et quartum latitudinis, et vigeſimum quintum longitudinis gradum a meridiano Londinenſi verſus occidentem Horrebouius aſſignauit. Ipſa haec inſula ab vno extremo apice vel promontorio ad alterum vltra centum et viginti milliarium Germanicorum ſpatium ſe extendit, quinquaginta etiam fere milliarium lata. Neque facie tam deformis et horrida eſt, quam eam deſcribere conati ſunt nonnulli ipſi ſuo ingenio longe horridiores: male enim alioquin his, qui eam incolunt, diuina prouidentia conſuluiſſet. Occupat vniuerſae inſulae medium ingens montium tractus, qui minora iuga quanquam eadem quoque altiſſima ex vtroque latere coſtarum

inſtar

instar versus mare porrigit: horum multi quidem alpium more perpetua niue teguntur: aliqui etiam saepius ignem euomunt: multi saxis atque paludibus obsiti steriles sunt: plurimi autem, si cacuminibus sunt nudi, inferiori tamen parte et ad radices suas valde vtilia et optima pecoribus pascua offerunt. Montibus fluuii amnes que piscosi per medias valles decurrunt, vtrinque laetissima irrigantes prata, donec se tandem in mare vel sinum aliquem maris exonerent: quales vbique sinus inter promontoria in terram intrare eamque per multa aliquando milliaria diuidere solent. Ad hos in vallibus amnes, ad hos maris sinus sub montium radicibus vtrinque suas sedes et habitacula incolae habent: quae quanquam non vrbes, nec oppida, aut maiores pagi, sed villae sunt et tuguria vel casae; non tamen sub terra, vt vult stultum inter peregrinos vulgus, ferarum more habitant, sed ex ligno partim, partim ex viridi cespite sua domicilia exstruunt, eaque saepe satis conspicua et pulcra et artificiosa. Multis quidem in locis salebrae sunt, sed illae vel minores vel desertae. Inueniuntur quoque metalla et mineralia et varia lapidum genera, inter quae notissimus est crystallus Islandicus, et nigerrimus simul ac durissimus lapis, quem Achatem Islandicum dicunt. Alibi sulphur sub terra latet, sed raro tanta copia, vt quidquam incolis incommodi pariat, quod si rite praeparetur, multo etiam aere vendi poterit. Hinc etiam feruentes aquae hic illic reperiuntur, quae tum aliis multis vsibus, tum praecipue bal-

neis conſtituendis ab ipſa natura praeparatae videntur. Siluae rarae ſunt, ſed tamen nonnullae, et ſalicibus fere conſtant. Frugibus proferendis illa terra non prorſus inepta, oleribus vero aptior eſt; herbarum autem et graminis eiusque optimi feraciſſima: ita vt Biartmari principis Hibernici filiae, cui nomen Grelada, quaeque vni ex primis Islandiae occupatoribus nupſerat, gramen illius terrae instar mellis ſapere et fragrare, et Hibernico longe praeſtantius viſum fuerit. Hinc pecudum, hinc armentorum equorumque, quibus omnibus inprimis beata eſt patria noſtra, ingens numerus ſuſtentatur. Fluuii etiam truttas ſalmonesque magna copia praebent: mare autem omne praeſtantiſſimorum piſcium genus, phocas item delphinesque et maiores belluas marinas, quanquam hae non tam ad noſtra quam ad Graenlandica littora ab exteris, praeſertim Batauis, capiuntur. Auium innumera apud nos genera ſunt, inter quas praecipue notari merentur aliquae, quas *Aeder* nuncupamus, ab Horrebouio anatibus annumeratae, quarum molliſſimae plumulae *Aederedun* dictae haec etiam in loca a mercatoribus deferuntur, et magno pretio venduntur: deinde aues rapaces, quas falcones appellant, venatibus aptae et in noſtra terra aliis praeſtantiores, quas ideo potentiſſimi REGIS MAIESTAS ſibi ſoli vindicauit, et exteris principibus dono offerre conſuevit: denique etiam cygni ſiue olores, quos eruditorum gratia hic memorare libet, cum aliquem mihi

dile-

dilectiſſimum quondam praeceptorem audiuerim mirari, quod veteres de cantu cygneo tam multa prodiderint, quos tamen recentiori aeuo nec in his locis nec in Italia nec in vlla alia Europae regione cantare quisquam audiuiſſet, quare hoc ab iis traditum a plurimis pro mera fabula haberetur, quanquam forte non omni veritate deſtitueretur, adeo que nec temere negandum: audiui ego et mirabar hunc ſermonem, qui ipſe in mea quidem patria ſonoram illam et amoenam cygnorum vocem ſaepius non ſine voluptate audiueram; quare valde gaudebam, quod ego ipſe teſtis oculatus atque auritus hanc antiquiſſimam traditionem contra recentiorum dubia confirmare poſſem: ea autem fabula eſt, quod morti vicinus canat, niſi forte interficiendus ſono prodat ſe cygnum eſſe. Ex his autem omnibus, quae nunc protuli, intellegi poterit, non tantam eſſe aeris apud nos inclementiam, quanta ab exteris vulgo putatur: eam enim ferre tot animalia homines que nullo modo poſſent: et Horrebouius cum eam obſeruaret, non multo grauiora apud nos frigora et tempeſtates eſſe reperit, quam apud Danos aut Noruegos: hoc vnicum diſcrimen eſt, quod frigora in noſtra terra aliquanto diutius durant, praeſertim ſi glacies Graenlandica ad littora noſtra appulerit, tunc enim aër maioribus ſolito frigoribus niuibusque impletur, et terrae foecunditati nocet. Inuenta eſt primum inſula noſtra a Nadd-Oddo ſiue Ottone Sagittario pirata Normanno anno poſt Chr. natum octingentiſſimo et primo, inde que

anno eiusdem saeculi septuagesimo et quarto a Noruegis occupata. Quum enim Noruegia ante id tempus in plura regna diuisa esset, vnus que ex illis regibus Haraldus Pulcricomus reliquis potentior vniuersam Noruegiam bello sibi subiecisset, plurimi viri principes et illustres nolentes suorum regnorum inuasori tyranno que parere, id consilii ceperunt, vt iniurias sibi illatas illorum temporum more, quantum quisque poterat, vlciscerentur, et postea in Islandia nuper inuenta nec ipsa Noruegia multo deteriori nouas sedes quaererent: vbi etiamsi minora regna essent habituri, liberi tamen ab alterius imperio et sui iuris vt antea manerent: quod vt per se rectissimum erat, ita etiam omnibus feliciter successit. Accedebant quoque ex Dania ipsa que Hibernia nonnulii coloni, inter quos aliqui principes viri et regio sanguine nati, quorum stemmata adhuc in illorum temporum monimentis exstant. Ita sexaginta annorum spatio Islandia tot nouos colonos accepit, vt ab eo tempore horum numerus auctus non fuerit. Hi primo statim initio insulam vniuersam in quatuor partes distinxerunt secundum quatuor mundi cardines, ex quibus etiam, vt cuiuslibet situs ferebat, nomina illis quadrantibus imposuerunt: mox leges sapientium virorum consilio praeceptas rogatas que sanciuerunt, ex quarum praescripto lites dirimerentur et gereretur res publica. Diuidebatur autem praeterea insula nostra in viginti fere minores partes siue prouincias, et in singulis constituebantur viri, virtutis fama et aucto-

rita-

ritate ſuper alios excellentes, vt ſacrorum ſimul atque iuſtitiae curam haberent antiquiſſimo gentium cultiorum more: quae vero ab illis componi non poterant, in comitiis annuis a ſupremis iudicibus, quos nomophylacas appellant, componebantur. Talis erat regiminis forma vſque ad annum Chriſti nati milleſimum, quo Islandia ſimul cum Dania et Noruegia Chriſtianorum ſacra amplexa eſt: tunc noſtratibus in dies magis magisque dominari epiſcopi, quos duo habemus, coeperunt: donec tandem finiendorum motuum quorundam internorum et ciuilium diſcordiarum cauſſa vniverſis incolis ſponte ſua placuit, vt ſe Noruegiae regi, ex cuius ditione oriundi erant, ſubiicerent: inde demum vna cum ipſa Noruegia Daniae iuncta potentiſſimis e ſtirpe Oldenburgica Regibus hodie paremus: qui nunc inſulam noſtram per duo praeſides, quorum alter ſupremus eſt, et nomophylacas duo, et illos viginti minorum prouinciarum iudices regunt atque gubernant: ſacra autem, quae vno cum Dania tempore puriora accepimus, a ſuis praefectis, et duobus epiſcopis curantur. Mercatura nobis antiquioribus temporibus ſatis ampla fuit, quum et inſula noſtra ab aliis quibus vis gentibus paſſim frequentaretur, et noſtrae naues ad peregrinos excurrerent portus: qua occaſione etiam a noſtratibus primum inuenta eſt Graenlandia et pars aliqua Americae, quam ob ſpontaneum vuarum prouentum Vinlandiam ſeu terram viniferam nuncuparunt: idque factum eſt longo iam ante

Columbum et Veſputium tempore, nempe ſub finem ſaeculi decimi. Nunc autem commercia nobiscum ſoli ſibi vindicant Dani; quorum prius ſinguli mercatores ſingulos portus habuerunt, ſed ab anno huius ſaeculi trigeſimo tertio omnes portus mercibus proſpexit vnica mercatorum quorumdam Hafnienſium eam in rem coniuncta ſocietas. Lingua vtimur aut ea ipſa, quae olim toti ſeptemtrioni communis fuit, et vnde plurimae hodiernae boreales ortum duxerunt, aut ei proxima: in qua etiam ſcripta habemus quaecunque adhuc ſuperſunt antiquiſſimae borealis hiſtoriae monimenta, quorum auctoritas, quamuis immixtae aliquando fabulae occurrant, neutiquam tamen contemnenda videtur, donec quis meliora, non ex meris ingenii fictionibus, vt quidam ſolent, ſed ex vetuſtioribus atque fide dignioribus monimentis protulerit. Neque alia litterarum ſtudia apud nos exſulant: nec ignota ſunt Latinorum Graecorum que ſcripta, omnis humanitatis fontes: nec deſunt in illa inſula, qui et artes diſcere cupiant, et iam ſciant, quid diſtent aera lupinis: quanquam pauciſſimi hic vt alibi inueniuntur, qui vere eruditorum nomen promereantur; et adhuc pauciores, qui eximia vel probabilia ſaltem ſcripta reliquerint: ſunt tamen et hi non adeo pauci: nam vt ignotos multarum hiſtoriarum ſcriptores taceam, quis neſcit Arium Polyhiſtorem, ſcriptorem omnium in ſeptemtrione antiquiſſimum grauiſſimum que? quis Snorrium Sturlaeum; quis Arngrimum Ionam; quis Thor-

Thormodum Torfaeum, hiſtoriae borealis primarios auctores et conſeruatores ignorat? Fuerunt etiam haud pauci ex noſtratibus, qui litterarum diſcendarum cauſſa haud dubitauerint magnos labores et peregrinationes in remotiores a patria terras ſuſcipere. Vt enim plures taceam, qui vel in Batauis vel in Gallia vel in Britannia ſapientiae ſtudiis operam dederunt, memorare nunc libet aliquos, quos in ipſa Germania per aliquod tempus litteris incubuiſſe ſcio. Inter hos igitur primus numerandus eſt Isleifus, qui Erfurti Saxonum adoleſcens ſcholam frequentauit, poſt ab Adalberto archiepiſcopo Bremenſi primus Islandiae epiſcopus inauguratus: deinde Saemundus Eddae Saemundanae auctor, et Arius ille, cuius nunc mentionem feci, qui vno tempore Coloniae ad Rhenum Muſis per triennium litarunt, vterque poſtea, ob eximiam variamque artium et hiſtoriarum cognitionem, multiſcii vel polyhiſtoris vel ſapientis nomine merito honorati: et hi quidem omnes ſaeculo iam vndecimo floruerunt. Praeterea Theodorus Thorlacius epiſcopus inde Scaloltenſis ſaeculo nunc proxime elapſo in vniverſitate Tubingenſi vixit, et diſſertationem ſatis notam de Islandia ſcripſit. Tandemque ſub finem eiusdem ſaeculi haec ipſa vniuerſitas Lipſienſis ciuem habuit virum in litteris et antiquitatibus borealibus praeſertim excellentem Arnam Magnaeum, poſtea in vniuerſitate Hafnienſi antiquitatum profeſſorem et tabulario Regio praefectum: quod me quidem prorſus

latuiſſet, niſi forte fortuna in manus incidiſſet libellus ab ipſo hic editus, cui epiſtola praemiſſa ſe Lipſiae ſcriptam eſſe profitetur: ſed quamdiu hic moratus fuerit non liquet. Videtis ex his, quae iam adduxi, Auditores, longe aliam eſſe tum terrae noſtrae tum ipſorum quoque incolarum indolem, quam quidem ex deſcriptione Ioannis Anderſonii aliisque eiusdem farinae libellis colligere quis poſſet: nolui autem vel talium hominum maledicta retorquere in ipſos auctores, vel noſtrorum popularium laudes hic dicere: cum meum de patria teſtimonium nimiae erga ipſam voluntatis ſuſpectum haberi poſſet: quanquam nec peregrini viri, qui eam nunquam vidit, nec de ea niſi ex ſtultorum et malignorum hominum ore quidquam audiuit, teſtimonium noſtro ſaltem non maiorem inter Vos fidem inuenturum eſſe confido. Quam ob rem hac breui deſcriptione partim notiorem paullo Vobis reddere patriam meam, partim ea quodammodo illuſtrare volui, quae nunc de maximis Sereniſſimi Potentiſſimique REGIS FRIDERICI QVINTI in Islandiam beneficiis ſum prolaturus.

Equidem ab hominibus, qui plebis more nihil niſi lucrum cogitant, non ſemel interrogatus, quem vſum Auguſtiſſimo Daniae REGI Islandia praeſtaret? reſpondi, id eam ſibi praecipuum habere, quod, dum multo magis, quam REGEM iuuaret, ab IPSIVS MAIESTATE iuuaretur, prae omnibus fere aliis gloriam ILLIVS SVMMI BENEFACTORIS promoueret. Nulla

enim

enim vnqnam Regio faſtigio ipſisque diis dignior ſententia excogitari poterit, quam ea, quam noſtrae PATRIAE PATER et fouet, et re ipſa fouere ſe monſtrat, exiſtimans quippe non tam principibus terras quam terris principes naſci, idque SVO exemplo clariſſime comprobans: quod ſi omnes, quibus rerum publicarum cura impoſita eſt, imitari ſtuderent, o quam felicia, quam aurea ſaecula habiturus eſſet vniuerſus terrarum orbis! Et noſtra quidem inſula, quum a priſtino beatiore ſtatu, non ſua culpa, ſed creſcentibus in dies rerum pretiis, incidente ſaepius annonae caritate, et commerciis magis magisque labantibus et deficientibus ad extremam fere paupertatem eſſet redacta, neque vlla iam ſpes ſupereſſe videretur, vires amiſſas recuperandi; erecta ſubito et recreata eſt ope et auxilio et immenſa munificentia ILLIVS optimi REGIS, quem in haec tempora incidere voluit Deus patriam noſtram a magno interitus periculo liberaturus. Neque enim hoc ſatis erat ILLIVS MAIESTATI, vt iuribus inſulae noſtrae nihil omnino detraheret; quod ſaepe alii populi a ſuis principibus magnorum inſtar beneficiorum expetunt, idque ſaepius etiam in caſſum: neque vt nouis et ſaluberrimis legibus bono rei publicae conſuleret; nam et hoc ab aliis ſapientibus principibus factum, et eas non ſolas miſeris ſuccurrere poſſe animaduertebat: ſed iam ingentibus et vere Regiis donis neceſſitatibus noſtris ſubuenire, iam aliis maioribus, quam ipſa etiam dona, quamuis maxima, beneficiis, occurrere votis vix

etiam precari audentium dignata eſt optimi REGIS indulgentia. Huic beneficiorum generi illud annumerare liceat, quod tales nobis vbique magiſtratus dedit, quales et nos ipſi optauimus, et experti ſumus maxime optabiles. Quem enim praeſtantiorem ſibi coram REGIO NVMINE deum tutelarem eligere patria noſtra potuiſſet, quam eum, quem ab ipſo REGE ſibi datum magno gaudio accepit, Illuſtriſſimum et omni virtute cumulatiſſimum horoa Ottonem Manderup Comitem à Ranzau, vnum ex proceribus et purpuratis, qui Regio lateri proxime aſſident? Et hoc ſupremo inſulae noſtrae praeſide patronoque excepto, ne vnus quidem apud nos hoc tempore magiſtratum gerit, qui non etiam intra ipſius Islandiae fines natus ſit: quod rei noſtrae plurimum intereſt. Nam neque peregrinis, ſi ad talia munera acceſſerint, tam multum ſalus publica curae cordique eſſe ſolet, quam quidem indigenis, quorum ipſorum res agitur, ſi quid patriae adverſi acciderit: et ideo etiam illi plus ſibi arrogando, quam et iura et publica vtilitas ſinunt, obeſſe iisdem ſaepius non timent; ſaepius quoque aut ſpe ſui lucri et commodi facilius abduci, aut metu minarum atque inimicitiarum cum illis, qui noſtris rebus ſui compendii cauſſa aduerſantur, deterreri ſe patiuntur ab eo curando atque peragendo, quod tamen bono publico, ſi hoc ſolum reſpicere vellent, maxime conducere ipſi non ignorare poſſent. Quibus grauiſſimis argumentis permotus ſapientiſſimus REX viros, vt iam dixi, in

ipſa

ipſa noſtra inſula natos, quos ingenio et legum doctrinae que ſcientia et ſumma erga SVAM MAIESTATEM animi deuotione peregrinis non ſecundos, amore in patriam longe praeſtantiores ſciebat, rebus noſtris praefecit. Gaudemus igitur nunc eos habere ſacrorum praeſules ſiue epiſcopos, quos per vniuerſam patriam tam humanitatis quam ſacrarum litterarum ſtudiis maxime inſtructos ornatos que nouimus. Gaudemus praefecto inſulae noſtrae Magno Gislii filio, viro legum peritia et iuſtitiae laude per multos annos ſpectata et incolarum amore praeſertim claro ac venerando. Gaudemus quaeſtore regio Sculio Magni filio, cuius indefeſſis laboribus et apud REGIVM NVMEN precibus id poſt Deum proceres que REGI proximos debemus, quod Sereniſſimo PATRIAE PATRI neceſſitas noſtra innotuerit, quodque inde ILLIVS MAIESTAS conſilium ceperit, collapſis Islandiae rebus ingentibus beneficiis ſuccurrendi: ita iam ille vir nominis ſui apud nos immortalitatem optimo iure promeritus eſt. Neque non Nomophylaces caeteros que viros in iudiciis tam ſuperioribus quam inferioribus conſtitutos plurimos ex animi noſtri ſententia omni que laude digniſſimos habemus. Atque hoc optimi REGIS beneficium eo magis nobis ſuſpiciendum eſt, quo magis apparet, id quaſi reliquorum praecurſorem fuiſſe, immo inter primarias rerum noſtrarum in melius mutatarum cauſſas eſſe numerandum.

Hoc igitur primarium Regiae ſapientiae documentum gratiaeque pignus, quod nondum vllis pecuniarum expenſis ad ſui perfectionem indigebat, alia ſtatim ſecuta ſunt, quae de immenſa maximi REGIS munificentia tam noſtro quam futuris ſaeculis aeternum teſtimonium perhibebunt; tanto que maiorem admirationem ſemper merebuntur, quanto praeclarius eſt, etiam cum ſui ipſius damno alios iuuiſſe. Sed quid damnum dixi? Nihil minus vlli principi ſua bonitas afferet, quam damnum, etiamſi beneficia et dona quantumuis magna conferat in ſuos, malitque in ciuium manibus ſuam pecuniam fructus vſurum que ipſis dare, quam in fiſco ſiue aerario inertem et nemini vtilem torpeſcere; nouit enim omnia, quae ſingulorum ſunt, ſua eſſe, ſibi que deberi, ſibi, quandocunque neceſſitas poſtulauerit, libentiſſime, maiora etiam quam illi acceperint, reddi: et ipſe princeps tam diues erit, quam divites ſuis auſpiciis muneribusque effecerit ciues. Ita cenſere indulgentiſſimum patriae noſtrae PARENTEM ex iis, quae nunc adducam, factis clariſſime liquebit.

Magnarum ſaepe donationum inſtar pauperibus eſt, ſi, quod debuerint, remittatur. Tali beneficiorum genere ſereniſſimi REGIS liberalitas inopiam aliquorum ex noſtratibus, qui vel in praediis regiis coloni, vel tributis colligendis REGI que ſoluendis conſtituti, quum ab anno huius ſaeculi quinquageſimo quauis fere hieme ingenti annonae caritate premerentur, ſoluendo non erant, ſubleuauit, cenſum que SVAE MAIESTATI debi-

debitum clementiſſime remiſit. Huic ſimilis niſi forte maior eſt REGIS erga res et perſonas cultui diuino deſtinatas dicatasque pietas. Debet ſe ILLIVS gratiae templum, quod in ſede epiſcopali Collibus Hialtadalenſium eſt, nuperrime exſtructum. Et iam illorum, qui per ſingulas vniuerſae inſulae paroecias ſacris curandis ſunt praefecti, quicunque tenuioribus reditibus fortuna que anguſtiori vtuntur, ex ipſo Regio fiſco quotannis ſtipendia accipiunt, quibus ſuffulti tum ſuae tum aliorum ſaluti melius conſulere poſſint. Sed nec in priuatorum rebus iuuandis augendis que ſolum verſatur potentiſſimi REGIS gratia; publicis etiam promouendis incumbit; nec per omnem patriam quemquam eſſe patitur, in quem non vel aliquam SVORVM munerum particulam vel magnum effuderit cumulum. Iuuat autem patriam, ſe ipſam, ſuum que ſtatum, ſuas vires nouiſſe: intereſt aliorum multorum ipſius que forte REGIS commodis, ne inſulae noſtrae quamuis pauperis bona diutius lateant et ignorentur, neue, ſi notiora euaſerint, premantur, ſed vt in vſum rei publicae vertantur, vnde rurſus redundent ad ſingulos. Ergo anno huius ſaeculi quadrageſimo et nono Petrus Horrebouius, qui antea ſupremi tribunalis aſſeſſorem egerat, et geometriae artium que ad eam ſpectantium inprimis peritus habebatur, a ſapientiſſimo REGE in Islandiam miſſus eſt, vt ibi aëris temperiem, locorum ſitus, terraeque indolem accuratius obſeruaret: quod etiam ab illo viro ſatis bono ſucceſſu effectum eſt. Congeſſit autem deinde,

quicquid ei de inſula noſtra maxime notatu dignum viſum fuerat, in librum notiſſimum, quem de Islandia ſcripſit, oppoſuitque libello Anderſonii inutili et ipſi auctori multo magis quam noſtratibus pudendo, niſi talium fabularum alios habuiſſet auctores, quorum mendaciis nimis credulus omnia bona mente conſcripſiſſe videtur. Curioſus enim rerum noſtrarum conſul ille Hamburgenſis ſaepius inuitauerat ad ſe naucleros et mercatores, qui ſuis nauibus aliquando ad littora Islandiae appullerant, indeque reduces Glucſtadium et Hamburgum venerant, ex his omnia vera de ſtatu inſulae noſtrae exploraturus. At iſti homines, dum in portu aliquo Islandiae per paucas hebdomadas delituerant, nihil aliud quam ſuum curauerant lucrum, inque huius gratiam ſine dubio a teneris iam ſtatim vnguiculis egregie mentiri didicerant, ſine qua arte, vt ait Cicero, mercatores vix multum profecturi videntur: pudebat tamen, cum a conſule tanto honore praeter meritum afficerentur, ignorantiam fateri: et cum noſtrates forte ex illorum ſententia nimium ſibi inter emendum vendendumque a fraudibus eorum cauiſſent, infenſus ea propter nautarum animus impudentiſſima quaeuis maledicta in noſtram patriam pleno gutture effundere non erubit: quae poſtea vir bonus nihil mali nihil falſi ſuſpicatus notauit in codicillis, et miſere deceptus aliis pro certiſſima veritate venditauit. Nihil huic libro reſponderant noſtrates; ſiue quod eum, cum nimis craſſe et aperte falſus eſſet, indignum putarunt,

qui

qui refutaretur; ſiue quod veriti ſunt, ne ſuum de patriae rebus teſtimonium peregrinis ſuſpectum videretur, atque ideo, quid de ea alii loquerentur, ipſorum humanitati relinquere, quam bellum ſuae famae obtrectatoribus indicere, ſatius duxerunt. At Horrebouius, Danus ille quidem et in noſtra inſula peregrinus, cauſſae noſtrae patrocinium in ſe ſuſcepit, iniquiſſimum ratus, quod vniuerſa natio eaque innocens et immerita tam maleuolorum abiectorumque hominum mendaciis multorum ſaltem opinione diutius ſuccumberet; ſcripſitque contra Anderſonium illum ſuum de Islandia librum, cuius nunc mentionem feci; in quo quidem multa egregia lectores inuenient, quanquam hinc inde plura inſeri et bona cauſſa interdum forte melius defendi potuiſſe videtur: ſed quicquid ſit, laudanda ſemper erit tam ipſius cauſſae bonitas, quam propenſa illius viri erga inſulam noſtram voluntas, ſtudiumque famam eiusdem ab iniuria temere illata vindicandi, et peregrinis nationibus melius, quam antea factum fuerat, commendandi. Quam etiam ob rem Sereniſſimi REGIS MAIESTAS, quae illi ex fiſco omnia itineris laborumque praeſidia dederat, reduci quoque pecuniam donauit, cuius ope adiutus ſuam Islandiae deſcriptionem publici iuris faceret. Deinde in Horrebouii locum duo alios a REGE miſſos patria noſtra accepit, eosque ex ſuis indigenis lectos, Egerardum Olafi et Biarnium Paulli filium, vtrumque tam mathematum quam rerum naturalium cognitione egregie inſtructos, qui

Regiis ſtipendiis ſuſtentati iam totam inſulam peragrarunt, magno que et indefeſſo labore plura in dies detexerunt et adhuc detegunt, quae vel naturae ſcrutatoribus ſcitu iucunda, vel publice vtilia apparent. Et haec quidem aut priuatorum in Islandia ſolatio, aut ipſi inſulae penitius cognoſcendae potentiſſimi REGIS gratia impendit: iam quid eidem vniuerſae, cum magis cognita euaderet, reſtaurandae, et ex miſero ſtatu, in quem inciderat, erigendae impenderit, videamus.

Incredibile eſt, quam id humano generi proficuum foret, ſi quaelibet terra, quantum fieri poteſt, rebus vtilibus gignendis et proferendis foecundior efficeretur, ſique res inde productae, non crudae et quaſi a ſtipite virides, ſed incolarum manibus atque induſtria rite elaboratae ad alias demum gentes transueherentur. Experta iam huius ſententiae veritatem vſum que eſt pars maxima Europae, in qua vix vna aut altera regio ſupereſt, quae non ex rebus intra ſuos fines natis, et antea ſibi forte ignotis, aut nullius aeſtimatis, aut aliis gentibus vili pretio vendi ſolitis, nunc ſibi merces diuitias que paret, quascunque natura et ars naturae adiutrix inde colligi poſſe docuerunt. Exemplum nobis praebet ea, in qua nunc degimus, quam que nos peregrini alterius patriae inſtar colimus, Saxonia; vicina que patriae noſtrae Suecia; ipſa denique Dania et Noruegia vniuerſa, quae nobis dulce natale ſolum praebuerunt. Sed harum omnium in excolendis ſuis terris promouendisque artibus operoſis et vtilibus ſtudia notiora ſunt, quam vt

ea

ea nunc Auditorum oculis exponere necesse sit. De Islandia igitur sola, vt ad propositum redeam, nunc mihi dicendum erit. Pastura, quae ex omni vitae genere innocentissima simul ac fructuosissima est, a primis iam inde temporibus id praecipue fuit, quod nostrae insulae colonis viuendi subsidia ministraret; atque ideo magnarum instar diuitiarum a pauperibus merito habita est: nam et lac et carnes pecudum ipsos homines sustentant, et lana vestibus conficiendis aptissima ac vere nata est. Haec pecora magna copia numero que exteris mercatoribus huc vsque vendidimus, lanam que simul et leuiores merces ex ea contextas; eaque omnia vilissimo pretio dedimus partim, partim cum mercibus peregrinis, et non raro longe minoris vtilitatis, quam nostrae erant, commutauimus: quarum primariam partem constituebant rudiores panni ex nostrarum ouium lana ab exteris conflati, et iam ingenti pretio nobis redimendi. Nec minus nobis piscium captura per se prodesse potuisset: sed hos iisdem mercatoribus siccatos, nec cum maiori nostro, quam illa pecora, lucro, tradere soliti sumus: quod idem etiam de aliis bonis mercibus in nostra insula natis dicendum est. Nil iam mirabor, si quis eorum, qui haec audiunt, nos omnium hominum stultissimos esse arbitretur, quod cautius mercari non didicerimus: sed nec recentioribus temporibus facultas nobis erat, commercia cum aliis quam cum istis hominibus instituendi; et erant tamen inter eorum merces aliquae, quae adeo nobis necessa-

riae essent, vt sine iis commode vivere non liceret. Sed his malis opem medelamque tulit vere paternus erga SVOS animus mitissimi REGIS FRIDERICI QVINTI. Et quidem huius bonitatis, qua res nostras instaurare dignatus est, initium fecit anno huius saeculi quinquagesimo et secundo, quo duobus in insula nostra clarissimis viris pecuniam largitus est, qua alter pannorum texturam, alter agriculturam introducere tentaret. Vtrumque optimo conatu successu que non infelici probatum est: quamuis enim hiemes iusto diuturniores breuius que caloris tempus segetes a consequenda maturitate fere prohibere viderentur; oleribus tamen non adeo infestae erant, quin eas ad maiorem perfectionem pervenire sinerent. Sed anno inde proximo immensum aucta pleno que quasi copiae cornu in nostram patriam effusa est optimi REGIS munificentia. Quippe instituta est ab ILLIVS MAIESTATE noua societas ex solis nostris iis que primariis popularibus consistens, quibus cura imponebatur, vt rem insulae publicam quocunque modo iuuarent, repararent, promouerent, augerent, ornarentque; artem textoriam aliasque, quibuscunque ad bene elaborandas res omnes vtiles in patria nostra natas opus esset, introducerent; simulque agrorum cultum, rem pecuariam, piscium capturam ex more Batauorum maioribus nauigiis, ipsas item nauigandi commerciorumque artes, incolas ediscere iisque assuefieri curarent. At non hoc merum nudum ve suae sapientiae institutum manere passus est REGVM

OPTI-

OPTIMVS, ſed addidit etiam ex regio fiſco rerum agendarum neruum; nec paruam quidem aliquam aeris portionem, ſed multa talenta, tantam que pecuniae vim, vt dimidiam auri tonnam, quam nos dicimus, ſeu quinquaginta ſcutatorum vel thalerorum imperialium millia excederet: praeterea praedium ex omnibus, quae in Islandia habuit, praeſtantiſſimum, cui nomen Thingorae, olim monaſterium inter noſtrates celeberrimum, inde repurgatis in ea inſula ſacris vna cum pluribus coenobiis regio fiſco adſcriptum: hoc inquam praedium cum omnibus ei ſubiacentibus, multaque alia in publicos vſus donauit. Nonne haec dona vere regia ſunt, Auditores? Putatisne id magis PRINCIPE dignum fuiſſe, ſi illos theſauros alicui potius cupiditati aut oblectationi ſuae, quam ciuium ſaluti impendere maluiſſet? At non haec EI ſatis erat munera dediſſe: plura audietis et ſtupebitis audita. IPSE REX duas maiores naues Islandiae largitus eſt, quibus initium facerent, Batauos in piſcibus capiendis commerciis que inſtituendis imitandi. IPSE in inſula noſtra, et quidem in praedio regio, quod Videia dicitur, primus SVO aere domum, cuius parietes ex meris lapidibus Islandicis conſtarent, peregrinorum domibus omnino ſimilem aemulam que aedificari iuſſit, vt inde alii incolae exemplum ſibi ſumerent ſtabiliores et elegantiores domos exſtruendi. IPSE denique perilluſtrem Baronen Haſtferdium e Suecia oriundum dato ſtipendio in Islandiam miſit, vt ibi rem pecuariam ad Suecorum et Britannorum in-

ſtituta componeret, et meliorem ampliorem que, quam antea fuerat, redderet: cuius equidem viri humanitatem et in eo perficiendo induſtriam a popularibus meis amari et omni laude dignam praedicari non ſine voluptate percepi: tales enim hoſpites patriae noſtrae quam plurimos venire opto, quos ipſa ſibi cariſſimos adfuiſſe dixerit. Ita Sereniſſimus REX ipſe prior id prope omne perfecit, quod ſocietati noſtrae Islandicae in publica illius inſulae commoda iniunxerat agendum.

Sed his omnibus acceptis noua, in quam incidimus, calamitas nouam optimo REGI praebuit benefaciendi occaſionem. Etenim quum anno nunc proxime elapſo immanis et inaudita prius hiemis ſaeuitia iam per ſe maximam annonae caritatem feciſſet; cumque praeterea illa mercatorum Hafnienſium ſocietas, cui, cum monopolium apud nos habeat, ea cura a REGE mandata incumbit, longe minorem, quam debuerat, frumenti copiam in inſulam noſtram miſiſſet: illo aduerſo fato, ſupina que iſta negligentia, malum enim animum ſuſpicari propter humanitatem nolumus, factum eſt, vt per vniverſam inſulam miſerrima exſiſteret fames, tantumque colonorum numerum patriae REGI que patriam diligenti eriperet, vt eum nunc memorare et pigeat, et pudeat, et horreat animus. O quam vellem, ne hac tam laeta hora tam triſtem acerbam que rem vel leuiſſime attingere neceſſe habuiſſem! Ignoſcant, precor, infelici, ſiqui ſunt, qui me ex aliorum hominum et quidem mihi popularium malis nullo dolore affici debuiſſe exiſtiment!

Quod

Quod equidem vel euitare vel prorſus diſſimulare non potui: quum illud optimi REGIS beneficium, quo noſtram gentem tantis periculis eripuit, ſine maximo ingrati animi crimine hic reticere neutiquam liceret: praeſertim cum is orationis meae ſcopus, id promiſſum a me fuerit, vt de REGIS erga Islandiam beneficiis dicerem: quare in eo incoepto nunc mihi pergendum eſt. Vix itaque ad REGIAS aures de tam flebili in Islandia rerum facie nuncius peruenerat, ſimul que quod eadem aeſtate nunc proxime acta duae naues mercatoriae cum ad boreale inſulae litus ob ingentem glaciei Graenlandicae vim in illo mari congeſtam appellere non poſſent, in Noruegiam re infecta rediiſſent: vix inquam haec REGI nunciata erant, quum regiis litteris ad illas naues in Noruegiam miſſis iuſſit, vt ſine omni mora Islandiam repeterent, et quoſcunque portus per glaciem liceret occuparent, manerentque ibi durante hac hieme, ſi tempeſtates a reditu in Daniam prohiberent. Adiunxit autem his duas alias naues frumento ex ipſa regia penu deſumto onuſtas, quae etiam confeſtim REGIS iuſſu patriam noſtram petierunt. Et haec quidem vere regia largitio quatuordecim thalerorum imperialium millibus conſtitiſſe cenſetur: ex quo magnum REGIS animum et erga SVOS amorem quum ipſi videatis, Auditores, non opus eſt vt demonſtrem. Noſtis Vos omnes, quantas laudes Plinius Traiano tribuerit, quod Aegyptum, ex qua Romanis ingens alias frumenti copia quouis anno venerat, incidente aliquando

annonae caritate frumento ex Italia misso iuuisset. Quid vero existimatis eumdem Plinium dicturum, si nunc rediuiuus hunc nostrum FRIDERICVM QVINTVM vt illum Traianum solemni paregyrico laudare suscepisset: qui non iam Islandiae rem aliquam ab ea acceptam et quasi mutuatam, vt Roma Aegypto, reddidit; nec alio tempore ex paupere insula tantas opes hauserat, vt nunc quasi gratia aliqua huic indigenti referenda esset; sed ex mera illa sibi propria et naturali bonitate eorum miseratus, quos tam inclemens et miserabile fatum, nisi ILLE REX in haec tempora incidisset, prorsus opprimere parabat. At ego tantum modo facta REGIS dicere promisi, non etiam laudes, quippe quas Vos ipsi ex factis, quam magnas meruerit, colligetis. Accessit autem his ipsis diebus ad regias illas largitiones permissio indulgentissimi REGIS, vt per vtrumque regnum ex donis et liberalitate ciuium pecuniam colligere liceret, qua illi in insula nostra coloni, quos paupertas ex istis malis contracta maxime vrgeret, fulcirentur: ita ILLIVS MAIESTAS aliis primum SVO exemplo praeire, inde etiam, vt SE sequantur, admonere et exhortari amat. Sed nos illis iam acceptis beneficiis, quanta quanta sunt, plura adhuc et fere maiora speramus: nihil enim ab optimo PRINCIPE et PATRIAE PATRE sperare non licet. Speramus iam propediem ab istius societatis mercatoriae monopolio liberari, quod iam illis mercantibus satis

lucri,

lucri, noſtris autem rebus atque ſaluti ſatis moleſtiarum, ne quid grauius dicam, attuliſſe videtur. Ea enim omnium eſt in Auguſtiſſimum REGEM fiducia, vt non patiatur vniuerſae noſtrae nationis felicitatem, SVAque IPSIVS immenſa erga nos beneficia, paucorum hominum eorumque minime egentium quaeſtui diutius inſeruiendo premi: quod nec vnquam factum fuiſſet, ſi modo res omnes aut praeuideri, aut, vt erant, ILLIVS MAIESTATI mature innoteſcere potuiſſent. Quare hoc beneficium omnium maximum et quaſi reliquorum complementum non vnus aut alter ſed vniuerſa inſula exſpectat, optat, anhelat, communique voto efflagitat, tunc demum beata futura, tunc demum mitiſſimi REGIS munificentia recte et libere et plenarie fruitura, ſi huius voti euaſerit compos. Parum hoc mea refert, fateor, et iniuſſus haec protuli: ſed iniurius in patriam fuiſſem, ſi rem ad illius commoda prae omnibus aliis ſpectantem, ſique ſummi BENEFACTORIS in hac quoque neceſſitate indulgentiam nunquam ſatis praedicandam, ſilentio praeterire voluiſſem.

Nondum quidquam de Potentiſſimi REGIS erga litteras in inſula noſtra beneficiis adduxi: nec temporis anguſtia omnia recenſere permittet. Vnicum igitur nunc in medium proferam, ſed quod tam patriae meae commoda quam me ipſum quidem maxime tangit; et Vobis etiam, Auditores, ſi modo patriae meae, ſi mihi Veſtro ex illa vltima ſeptemtrionis parte in hanc lit-

terarum ſedem aduecto, iam, vt ſpero, fauetis, ſaltem non ingratum erit nobis contigiſſe. Me enim, quem nunc ſine facundia loquentem tam beneuole auditis; quem Vos, generoſiſſimi nobiliſſimique commilitones, ſocium et amicum, Vos, Patres Academiae conſcripti, diſcipulum et clientem, etiam cum adhuc fere ignotus eſſem, amore et beneficiis nunquam obliuioni tradendis benigniſſime ornare non dubitaſtis: me, me ipſum iam Vobis ſiſto Regiae erga Islandiam gratiae viuum ac praeſens documentum; me etiam eadem, quae patriam meam erexit, optimi PRINCIPIS munificentia ſubleuare, et ſtudiis meis labantibus Muſaeque iuſtis praeſidiis deſtitutae largiſſimo beneficio ſuccurrere non dedignata eſt. Non forſan hoc ipſo Regiae bonitatis auxilio opus mihi fuiſſet, ſi tantum modo alicui ex illis ſtudiis, quibus multi ex litteratis victum atque honores quaerere ſolent, ab initio petitae academiae totus incumbere voluiſſem: probis enim et honeſtis et domi notis parentibus nato non tam diu aut operoſe quaerendum fuiſſet, vnde viuerem: ſed cum ſcirem, non defuturos, qui patriae noſtrae in muneribus publicis gerendis egregie prodeſſent; malui ea mihi ſtudia eligere, quibus, quum longe minora praemia maiores que labores ſecum afferant, nimis raros in noſtra terra cultores eſſe animaduertebam, et quae tamen patriae nec minorem, quam iſtae magis vulgares artes, vtilitatem, nec minorem apud peregrinos honorem et gratiam paritura eſſe videbantur: ſunt autem ea lingua-

guarum tam veterum quam recentiorum notitia; et hiſtoria atque antiquitates praeſertim boreales, quae ex ſolis fere codicibus Islandicis vt primis fontibus petendae ſunt; et rerum naturalium atque ad politicam et oeconomicam ſpectantium omnium publice vtiliſſimarum ſcientia; et litterarum elegantiorum omnisque humanitatis ſtudia; quae a plurimis ea propter nihil rei publicae prodeſſe putantur, quia non tam loculis vili metallo replendis quam ingenio ditando moribusque formandis aptae nataeque ſunt: hae vt homines fiamus, efficiunt; hae, dum aliis nihil niſi luſus agere et meditari videntur, quid pulcrum, quid honeſtum, quid decorum et elegans ſit, monſtrant, et illas humiles cupiditates contemnere docent, quibus hominum animos deformes et ipſis beſtiis inferiores, niſi mature corrigantur, plerumque euadere apparet. Neque tamen vllam ex quatuor illis doctrinae ſiue ſapientiae partibus, in quas hodie vulgo diuidi ſolet, prorſus intactam praetermittere volui, quin ſingulas potius, quantum licuit, luſtraui, inueni que, modo vana vndique reſecarentur, vtiles et amabiles et diuinas et adeo ſcitu neceſſarias, vt in vna vix eruditi magnique nomen quisquam promereri poſſe videatur, qui reliquas ſaltem primis labiis guſtare vel neglexerit vel plane contemſerit: ita ſapientia, quae non niſi vna eſt, ſed per omnes litteras artes que et diſciplinas diſperſa, colligi ex vniverſis geſtit. Ea igitur, quae nunc dixi, litterarum

ſtudia adeo pulcra mihi viſa ſunt, vt prae eorum dulcedine nihili, quos adoleſcens iam affectare et forte conſequi potuiſſem, honorum titulos; nihili, quae hi accepti ſecum attuliſſent, quaeque ipſe litteris addiſcendis impendi, bona; nihili tempus iam ſatis multorum annorum in academiis inter non leues fortunae anguſtias transactum; nihili peregrinationem, mihi, quum ab re familiari minime paratus eſſem, maximas difficultates, quas etiam ſuſtinui, et pericula non leuia minantem, aeſtimauerim: modo ea diſcere daretur, quae patriae meae aliquid vtilitatis aut ornamenti eſſent additura. Praebuit exoptatiſſimam voti conſequendi occaſionem illuſtris Philuraea; praebuit doctores multos et excellentes, fauentesque mihi nondum etiam cognito: inter quos tempore primus erat ille vir mihi ideo aeterno animi cultu proſequendus, quem nunc praeſentem et Rectorem Vniuerſitatis omnes ex merito veneramur: alter autem Chriſtius, ita mei amans, et ita viciſſim dilectus a me, vt pro hoc optimo praeceptore diutius retinendo vel vitae meae partem, modo licuiſſet, Libitinae offerre voluiſſem. Contigit deinde ſtudiis meis a Sereniſſimo Potentiſſimoque Poloniarum Rege Principe Electore Saxoniae iuuari beneficio aliquo, quod quum in eo conferendo ego peregrinus multis indigenis et quidem plus vna vice Regia indulgentia praelatus fuerim, in maximis mihi numerandum ſemperque praedicandum erit. Sed

non-

nondum haec ſufficiebant ad leuandum illud inopiae onus, quod in litterarum ſtadio currentem premebat et retardabat: pauca enim ea, quae ex meo habueram, praeſidia tam diu et tam longe a patria abſentem iam olim defecerant: nec tamen incepto, quod bonum rectumque eſſe perſuaſum habebam, deſiſtendum mihi arbitrabar, quantascunque etiam procellas, quantas cunque ruinas fortuna minaretur. Ergo, quid agerem? Confugi ad EVM, ad quem, tanquam deum aliquem miſeris nunquam non propitium, certa fiducia confugiunt, qua Danicum imperium patet, quicunque alio auxilio ſunt deſtituti; et poſtquam ſtudiorum, quam nunc dixi, rationem meamque neceſſitatem litteris ſupplicibus expoſueram, a Sereniſſimi REGIS MAIESTATE, cui pauperis erga patriam voluntas, vt ſumma ILLIVS eſt indulgentia, iam non diſplicuerat, beneficium, idque ex ipſo Regio fiſco et vere Regium, obtinui, quo iam nouos neruos animosque dante, in iis perdiſcendis, quae ipſe mihi propoſueram, in peregrinis regionibus pergerem. Ego vero felicem me reputo, quod hoc Regiae munificentiae dono ad ſubeundos labores iam confirmatior factus fuerim; feliciorem, quod ita mihi non caeca fortuna, ſed ſapientiſſimi REGIS bonitas fauerit, vt ego quidem ex meis popularibus, quantum ſcio, nunc primus inter exteros Regio ſtipendio litterarum diſcendarum cauſſa ſuſtenter, feliciſſimum autem, ſi per omne reliquum vitae meae

tempus HVIC leniſſimo DOMINO ſeruire, HVIC indulgentiſſimo felicitatis noſtrae PARENTI quocunmodo oſtendere valeam, neque ingratum eſſe hunc hominem, neque prorſus indignum, cui Regia gratia in poſterum etiam propitio affulgeat lumine.

Plura Regiae bonitatis in inſtaurandis Islandiae rebus exempla nunc adducere poſſem Auditores: innumera enim ſunt, et dicenti inſtar inexhauſti fontis materiam ſuggerunt prolixiſſimam: ſed haec de potentiſſimi REGIS circa magiſtratus ex voto bonoque rei publicae conſtituendos cura; de remiſſis ob annonae caritatem iis tributis, quae pauperiores ſoluere debuiſſent; de templo ſacrorumque miniſtris data pecunia adiutis; de miſſis in Islandiam, qui eius bona accuratius et penitus ſcrutarentur; de re pecuria, de agrorum cultu, de piſcium captura, de textura, aliisque artibus operoſis et ad commercia ſpectantibus, omnibus partim auctis partim nunc primum introductis; de inſtituta earum promouendarum cauſſa ſocietate, eademque ad omnia perficienda ingenti pecuniae ſumma ex Regio fiſco, praediis praeterea et nauigiis aliisque rebus in publicum vſum donatis, ſuffulta; de miſerrima fame, quae et hiemis ſaeuitia et aduehendi aliunde frumenti defectu exorta fuerat, optimi REGIS iuſſu auxilioque repreſſa et propulſata; de beneficio denique in me quidem ad excolendas inter peregrinos litteras indulgentiſſime collato: haec iam a me qualitercunque

pro-

prolata sufficiant; haec tam Vobis, Auditores, quam omnibus, qui ea vel audient vel scripta olim ex historiarum monimentis discent, iam certissima de potentissimi REGIS erga SVOS amore paternoque animo argumenta praestabunt; haec nobis et posteritati aeternum memoranda et admiranda, haec aliis etiam regibus, quicunque vere magnorum nomen promereri, quicunque FRIDERICO QVINTO pares esse vel euadere cupiunt, imitanda erunt atque aemulanda: ita enim quisque eorum magnus, ita bonus, ita suis amatus exterisque venerabilis erit, prout ad hunc optimum PRINCIPEM propius accesserit bonitate.

Sed iam praeuideo, non defuturos forte, qui gloriae REGIS tam multis atque ingentibus erga SVOS beneficiis partae aliquid detrahere conentur: nunquam enim virtuti sui obtrectatores defuerunt: et quo magis ea excellit, eo magis nefandis inuidiae telis esse solet obnoxia. Dicet itaque aliquis, cum ipse nihil tale antea viderit vel audiuerit, illa mitissimi REGIS benefacta aut omnem omnino fidem superare, aut a me vanis artibus inter dicendum aucta et nimis gloriose prolata esse. Et ego ipse tanta esse fateor, vt non mirandum sit, si aliis prorsus incredibilia videantur: vix enim nos, qui ea ipsi vidimus experti que sumus, ante id tempus persuadere nobis potuissemus, hac aetate, qua liberalis et generosus et regius animus, et non tam sibi quam suis viuere gaudens, inter ipsos etiam principes

rarius inuenitur, tam magni animi, tam eximiae et immenſae munificentiae PRINCIPEM exſiſtere poſſe. At nihil horum mentitum eſſe, nihilque auctum, tanta quippe ſunt, vt verbis augeri vix queant, non me ſolum aut vnicum teſtem praebeo: ſed teſtis eſt patria mea Islandia, cui reſtaurandae et conſeruandae tot curas theſaurosque impendit ILLE indulgentiſſimus regnorum gemellorum DOMINVS: teſtis eſt vniuerſa Dania et Noruegia et quotquot ad Potentiſſimi REGIS imperium pertinent regiones omnes regiis beneficiis cumulatae: teſtis eſt vniuerſa etiam Europa, quam tanti REGIS tam illuſtria facta latere non potuerunt, quin in omnium oculos incurrerent meritamque ſibi parerent admirationem. Fidem igitur quamuis ſuperent, inuenient tamen apud omnes eos, qui et verborum et rerum teſtimonia omnia ſaltem non ſuſpecta et in dubium vocanda et prorſus contemnenda cenſent: nullam autem fidem ab iis nobis expetimus, quorum tanta eſt inhumanitas, vt quae ipſi forte laudanda, et ſi potuiſſent, nunquam feciſſent, alios etiam nunquam facturos arbitrentur. Putabunt alii, qui nemini alteri prodeſſe, niſi ſibi ipſis ſimul multo magis profuerint, conſueuerunt, illa REGIS beneficia non ex naturali benignitate SVOsque erigendi ſtudio, ſed ex aliis humilioribus et non tam laudabilibus cauſſis profecta eſſe, atque ILLIVS MAIESTATEM in Islandia noſtra reſtauranda nihil niſi ſpem lucri longe

ma-

maioris, quam beneficia in eam nunc collata essent, ex iisdem olim capiendi respexisse; aut etiam haec omnia ex nimia gloriae cupiditate fecisse, vt, qui maiora, quam alii plurimi principes, beneficia in SVOS contulerit, IPSE omnibus maior videretur esse. Sed nec lucri nec laudis tam indigus auarusque est Augustissimus Daniae REX, vt horum quaerendorum caussa vltimam Thulen petere necesse habuisset: atque si lucrum ex SVIS donis SIBI capiendum proposuisset, propiores iam facile et certiores illius acquirendi modos inuenisset, quam vt tantam pecuniae summam pauperi insulae daret mitteretque, nunquam forte, si rerum euentus spei non responderet, recuperandam: sin gloriae amore ductus tanta nobis beneficia praebuisset, iam non necessarium aut operae pretium fuisset, eam tam magnis et regiis opibus effusis licitari, quum ad eam consequendam aliae etiam pateant viae, quas, quum ille Sapiens REX ciuium saluti consulendo alias felicissime petierit, IPSI neutiquam ignotas esse quilibet facile videbit. Non haec ideo dixi, quasi non aequum sit, vt REGIAE ILLIVS MAIESTATI ex his insignibus benefactis et quam plurima commoda et gloria quam maxima crescant; sed tantum modo, quod eo consilio erogata non fuerint, vt hoc foenus summo eorum AVCTORI redderent, sed vt pauperes ciues miseriis eriperent: hunc enim benignissimus PRINCEPS maximum

SIBI diuitiarum atque gloriae cumulum accedere posse existimat, si ciues incolumes seruauerit, atque SVA prudentia, SVA ope, SVIS diuitiis effecerit quam beatissimos.

Verum quanto plus felicitati nostrae ab hoc PATRIAE PATRE additum sentimus, et quanto minus SVA commoda aut laudes benefactorum mercedem, quamuis optimo iure liceret, ILLIVS MAIESTAS postulat; tanto magis nobis laborandum omnibusque viribus enitendum est, vt nos Regiis ILLIVS beneficiis gratiaque quam dignissimos esse ostendamus, vtque Augustissimo REGI pro maximis illis, quae iam accepimus, ea referamus munera, quae licet Regiis donis pretio immensum cedant, omnium tamen acceptissima REGI futura confidimus, immo vnica, quae ILLIVS indulgentia a nobis recipere gaudeat. Sunt autem ea gratissimus et communi PARENTI deuotissimus animus, et indefessum, quale in IPSO videmus, studium rei publicae commoda, quacunque bona arte, quacunque data occasione possimus, pro tenui virium modulo promouendi; praesertim vero omnium in eo consensus et coniunctio, vt ILLIVS MAIESTATI, quantas maximas valemus, gratias habeamus atque referamus, cuius vnius bonitati nos omnes Danicis sceptris subiecti tot in patriam ILLIVS auspiciis florentem, totque in nos ipsos collata beneficia debemus: quae quum erga Islandiam solam tam prolixa et immensa Vobis, Auditores, nec tamen omnia, sed

quae

quae mihi ſolum nota occurrebant, iam recenſuerim, quanta erga vniuerſum Danicum imperium, cuius noſtra inſula parua tantum modo extremaque pars eſt, enumerare liceret, ipſi intelligetis. Sed neque his Regiis factis leui noſtra apud exteros praedicatione opus eſt, qui iam ea ipſi minime ignorant, et ipſi non minoribus, quam nos, laudibus in caelum efferre geſtiunt. Nunquam equidem ſine inſigni voluptate animo reuolui illud lepidiſſime dictum, quod me ante duo fere annos memini a viro aliquo audire, qui in hac Vniuerſitate inque hoc auditorio nunc primarium locum tenet, et cuius nomen ob ſummam reuerentiam ei debitam neſcio an mihi liceat propius indicare: is autem rurſus in Haſſia a iuvene generoſo, qui ex peregrinatione in Daniam ſuſcepta nuper ad patrios redierat lares, audiuerat, atque, quum propter inſitam verbis cum veritate facundiam ſalisque elegantiam non poſſet non eximie placere, ſibi notauerat auditum. Ille igitur ex Haſſia nobilis, cum aliquando de Potentiſſimo Daniae REGE eiusque laudibus ſermo incideret, minus ſe ILLIVS MAIESTATI addictum ſimulans: *Miror*, inquit, *quod alii principes hunc* REGEM *in ſuo ordine manere patiuntur: nam* IS *nimis beneficus eſt in ciues.* Et certe ego quidem arbitror, ſi principes ex ſe ipſis aliquam rempublicam conſtituerent, in qua, vt olim apud Athenienſes, quicunque ſuper alios ipſa etiam virtute excelleret, propter

tyrannidis metum oſtracismo eiiceretur, HVIC PRINCIPI, HVIC ARISTIDI SVA virtus tam IPSI quam reliquis illius reipublicae ciuibus iam valde metuenda et periculoſa videri poſſet. Sed quid loquor imprudens? Sentio iam futurum, vt hoc augurio fallerer. Quid enim vtrinque metuerent? Num res pulica timeret, ne ab EO opprimeretur, qui populos SIBI ſubiectos tam leni regimine et gratia et muneribus numinis alicuius praeſentis inſtar erexit, auxit, ornauit, atque ita SE rerum cuſtode felices reddidit, vt iam prope quilibet ex ciuibus, dum HVIC PRINCIPI paret, ipſe ſibi principibus felicior eſſe videatur? Numquid noſtro FRIDERICO ab illa principum republica ſuas de IPSO ſententias ferente et colligente timendum eſſet; quum tantus ILLIVS MAIESTATI inter SVOS atque peregrinos omnes amor, tanta veneratio ſit, vt per vniuerſum terrarum orbem vix vnum hominem inueniri putem, qui non candidum calculum vrnae iniecturus eſſet. Haec eſt illa immortalis gloria, quam non vi et armis, non caedibus et ſanguine SIBI parauit REX noſter, ſed ſola benignitate deos imitante, multo que, digniore quam olim Caeſaris clementia erat, quae templis et altaribus honoretur: id autem vel magnificentiſſimis templis praeſtantius ducit, quod in omnium pectoribus monumenta SIBI marmore et aere perenniora erigi ſeruarique videt, quibus nulla vnquam temporum iniuria ſit nocitura. At nos ſub optimi PRINCIPIS ditione natos

num

num in teſtanda animi deuotione referendaque pro acceptis beneficiis gratia vltimos eſſe deceret? Num ingenia noſtra, et ſi natura frigidiſſima eſſent, ex tot Regiae gratiae radiis, quibus nos noſtraque communis patria quotidie illuſtramur, nullo caloris ſenſu afficiantur, nihilque excitentur, nihil impellantur ad audendum aliquid, quo honeſtae ſuae cupiditati gratiſſimi pectoris cogitationes effundendi aliquatenus ſatisfacere ſperent? Nemo tam ruſticos et humiles et abiectos animos nobis tribuat. Nos enim, quantum vis remoti a dilectae patriae finibus, nunquam tamen obliuiſcemur noſtri erga eam amoris et officii; nunquam deſinemus EVM colere et venerari, quem veriſſime PATRIAE noſtrae PARENTEM ſalutari, non tituli regibus imponi ſoliti conſuetudine docemur, ſed iam re ipſa experimur. Huius REGIS facta laudesque praedicare; pro hoc PATRE ardentiſſima vota fundere, per omnem noſtram vitam dulciſſima nobis voluptas erit: cuius recte fruendae vt nullam occaſionem praetermittimus, ita eam nobis praecipue arripiendam hoc die eſſe putauimus, qui nato Auguſtiſſimo patriae noſtrae PARENTE vniverſo Danico imperio feſtus ſacerque eſt: debuimus enim hoc REGI et patriae et nobis ipſis, vt nos minime a pia noſtratium indole degeneres aut pro acceptis beneficiis ingratos probaremus.

Igitur idem nunc facimus, quod hodie omnes Dani et Noruegi, et quotquot Danicis ſceptris addictae

ſunt gentes, populi que REGI noſtro amici, nullum autem non SIBI amicum habet, communibus votis faciunt. Oramus te ſumme Deus caeli terrarum que domine, cuius aeterno conſilio immenſae que bonitati tam carum nobis tam que noſtri amantem PRINCIPEM acceptum debemus; oramus te omnes iunctis in hoc vnum animis et pectoribus enixiſſime, vt hoc tuum pretioſiſſimum donum, hunc noſtrum tuum que FRIDERICVM ita incolumem felicem que conſerves, ita diuina tua ope augeas, vt eum tuis auſpiciis vere felicem Auguſtum que vti nunc ita et ſemper per longiſſimam aetatem omnes videamus eſſe: cum que tu ſolus EVM vincas benefaciendo, ILLIVS MAIESTATI ea, quae in SVOS contulit, munera centies maiora redde, et pro nobis ea debita ſolue, pro quibus noſtrae infirmitati nihil praeter gratum animum ſoluere poſſe dediſti. Iubeas ſimul Sereniſſimam REGIS CONIVGEM cum PRINCIPE REGNORVM HAEREDE atque vniuerſa DOMO REGIA in ſpem et ſalutem ſeptemtrionis noſtri ſempiternam omni felicitate cumulatiſſimam eſſe. Ita enim optime Danico ſolio conſulere te noſti, ſi ei multos ſerie vt huc vſque nunquam interrumpenda FRIDERICOS et CHRISTIANOS dederis, ſi que omnes futuri in noſtra patria principes HVNC VNVM referant et nobis quaſi perpetuo viuum reddant, quem omnium maxime amauimus, FRIDERICVM QVINTVM.

Serues autem etiam et tuearis Sereniſſimum Potentiſſimum que REGEM FRIDERICVM AVGVSTVM, in cuius nunc ditio-

ditione tanquam in altera patria viuimus, et cuius ſemper nobis laudanda et ſuſpicienda indulgentia factum eſt, vt nobis hodie laetitiam de nato patriae noſtrae PARENTE palam exſerere liceret. Redeant, precamur, huic Auguſtiſſimo PRINCIPI VNIVERSAE QVE DOMO REGIAE ELECTORALI, redeant Saxoniae laetiora, redeant talia tempora, qualia ſub noſtro FRIDERICO QVINTO gemina ſeptemtrionis regna nunc habere ſe gaudent: meliora enim vix vlla terra optare poterit, quamuis ipſam cum ſaeculis aureis Aſtraeam ſibi petierit reuerti.

Nihil mihi iam amplius dicendum ſupereſt, niſi vt Vobis, Rector Academiae Magnifice, Illuſtriſſimi Comites, Proceres Ciues que huius Vniuerſitatis pro ſua quisque dignitate colendi et honorandi, ſummas popularium meo que nomine gratias agam, quod noſtram laetitiam Veſtra praeſentia augere et condecorare dignati fueritis: indubium quippe hoc pacto teſtimonium dediſtis de Veſtris animis noſtro REGI omnium digniſſimo addictis, de que Veſtro erga peregrinos fauore, quos ex omnibus fere Europae partibus ad hoc celeberrimum litterarum et humanitatis emporium confluentes habetis. Quanto autem maior Veſtra in hac re fuit bonitas, tanto magis nos, quos eo beneficio affeciſtis, nitemur et allaborabimus, vt Lipſiae fama, ſi apud noſtrates alios que ob iam acquiſitam magnitudinem creſcere non poteſt, ſaltem noſtra negligentia aut deſidia non minuatur; atque ita nos ſemper gerere ſtudebimus, vt illam nos ciues habuiſſe nec pudeat vnquam nec poeniteat. Et ego


quidem, quem ſolum ex Islandia natum per aliquot iam annos tenuit, et beneficiis aeternam gratiam promerentibus iuuit; quique nunc propediem almae huic ſtudiorum matri valedicere alias quoque regiones viſendi cupiditate cogor; praecipue me huius Vniuerſitatis Veſtroque fauori commendatum eſſe cupio: quem ſi mihi vt huc vſque ſic et in poſterum non denegare volueritis, habebit etiam illuſtris Philurea, qui in vltima Thule, nec ea quidem ſola, ſuas praedicet laudes. Quanquam autem plurima Veſtrae beneuolentiae documenta tam ego quam omnes populares mei a Vobis accepimus, Auditores, vnicum tamen vt illis hodie addatis rogare ſuſtinemus, ſed quod Vos ipſos etiam ſine noſtra prece lubentiſſime facturos confidimus: nempe vt Veſtra vota cum illis coniungatis, quae et nos et vniuerſa noſtra patria pro Potentiſſimo Daniae REGE communis noſtrae felicitatis PARENTE iam hodie nuncupauimus, et iam nuncupata millies repetemus. Speramus Vos hunc honorem non orationi quidem incultae daturos, ſed REGI noſtro, qui cultiſſimam meruiſſet.



ORA-

ORATIONEM PANEGYRICAM
IN
DIEM NATALEM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS
FRIDERICI QVINTI
DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM
GOTHORVMQVE REGIS
SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE
DITMARSIAE DVCIS
OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI
COMITIS
PRIDIE KAL. APRILES
IN AVDITORIO PHILOSOPH.
RECITANDAM
INDICIT
AD EAMQVE AVDIENDAM
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM
ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQVE CIVITATIS PROCERES
VNIVERSOSQVE ACADEMIAE CIVES
INVITAT
ORDINIS PHILOSOPHICI
DECANVS
IO. AVGVSTVS ERNESTI

R



Si ſuave eſt, auctore eruditiſſimo poëta, magnam maris tempeſtatem, et laborantes in fluctibus naves, e terra videre, ſine proprio periculo: non quo mala aliena habeant aliquam apud honeſtos animos oblectationem: foret enim inhumaniſſima voluptas: ſed quod ſenſus ſecuritatis noſtrae alienis incommodis intuendis acuitur, accipitque ex eo aliquam ſuavitatis quaſi acceſſionem: multo profecto iucundius ſit neceſſe eſt, vel audire procul belli tumultus, vel ſpectare cominus populos bello afflictos, liberum ipſum ſecurumque malorum, quae bellum habet, omnium. Neque enim alia maior eſt pacis, quam a belli malis, commendatio; nec alia optabilis eſt illius dulcedinis experientia, quam quae ſalva nobis pace contingit. Huius tantae ſuavitatis ſenſu ſe delinitos ſentiunt noſtri e Dania Cives, cum ſpectandis malis, quibus affligitur cariſſima Patria noſtra, admonentur felicitatis, qua ſua cum maxime fruitur, ab omni non modo bello, ſed contagionis etiam bellicae timore ac ſuſpicione, libera, et altiſſimo otio acquieſcens. Huius autem tanti boni auctorem amabilem ſtatoremque, ſecundum Deum quidem, agnoſcunt F R I D E R I C V M ſuum, Regem ſapientiſſimum, pacificum, et cum aliis virtutibus magnum,

tum vero nulla alia re, vel ſua ipſius veriſſima aeſtimatione, maiorem, quam, quod ſummam regni adminiſtrandi gloriam ponere didicit in pace tuenda, et bonis eius omnibus, litterarum et ſapientiae divinae humanaeque ſtudiis, legum auctoritate, rerum omnium ex artibus bene cultis, e mercatura, copiis diligenter conſervandis, benigne fovendis, et omni ratione augendis, hoc eſt, paterna indulgentia regno praeſtanda.

Eſt profecto vna certiſſima principalis ac regiae magnitudinis menſura, quam paterni nominis benignitas et indulgentia definit: quippe ab ipſa divini numinis magnitudine ducta, et omnium ſeculorum conſtanti iudicio probata, denique in ipſis ſenſibus noſtris defixa. Maieſtatem divinam mens humana totam intelligit in benignitatis, operibus maximis demonſtratae, magnitudine: ad hanc, velut ad caput ſuum, revocat ceteras naturae divinae perfectiones: per hanc omnem eius vim et magnitudinem non modo conſpicuam factam videt, ſed etiam amabilem. Ipſum huius vniverſi moliendi et efficiendi conſilium a benignitate divina, vel ſola, vel maxime, derivat. Etenim vis, quamvis infinita, nihil habet, niſi efficiendi mundi facultatem: voluntas omnis eſt a benignitate, quae et eſſe cupit, quibus ſe conſpicuam et amabilem reddere poſſit, et, ſi ſunt, quam maxime iis ſe oſtendere geſtit. Nam, vt quisque eſt benignior, ita magis et benefaciendi materiam requirit, et benefactis laetatur, nec alia maior benigno animo voluptas poteſt contingere, quam a benefactorum conſcientia. Ac profecto ea eſt benignitatis divinae vis, vt ea homini vix conſiſtere potuiſſe videatur ſine mundi effectione, in quo eſſent, quibus ſuam vim benefaciendo demonſtraret. Nam benignitas, quae ſit non modo vera, et magna, ſed infinita, hoc eſt, quae habeat ardentiſſimam, et, paene dicam, inſatiabilem benefaciendi voluntatem, ſi adiunctam habeat vim, parem efficiendis, quae velit, omnibus, nullo modo ita intelligi poteſt,

vt eadem ſit otioſa, nihilque agat, ſed velut intra ſe vertatur, et ſui ſe modo cogitatione et ſenſu oblectet. In mundo vero ipſo efficiendo, etſi longius excedere videtur mentis humanae captum vis et ſapientia divina, tamen et hic dominatum benignitati omnem attribuit intelligentia noſtra, ſentiens vidensque in omnibus, vim et ſapientiam benignitati veluti pro inſtrumentis fuiſſe, per quae ſuam illa vim expromeret. Quid dicemus de conſervatione mundi et gubernatione vniverſa, quae eſt prope tota benignitatis? in qua, quoquo nos vertamus, in oculos propemodum ipſos ſe ingerit curioſa quaedam et vere paterna adverſus genus humanum indulgentia? Nobiliſſima autem illa gubernationis et providentiae divinae pars, quae pertinet ad mentes humanas, et ſalutem felicitatemque animorum per *Chriſtum* partam et reſtitutam, tota a benignitate divina et ortum et perfectionem habet, totam ipſe Deus ad amorem admirationemque benignitatis vult referri. Ipſum nomen Dei benignitatem ſonat: *χαριστικῆς δυνάμεως ὁ θεὸς ὄνομα*: *beneficae virtutis nomen eſt Deus*, inquit PHILO (*de Somniis p.589.*) et, cum ſuam ipſe maieſtatem declarat, prope ſolam benignitatem praedicat, (*Exod. XXXIV, 6.*) vt magnitudinem ſuam vel ipſe hac maxime cenſeat, vel ab hominibus intelligi ex hac et coli velit: denique cum ad mortalium humilitatem nominis illius altitudo transfertur, vnius benignitatis et beneficii magnitudo ſpectatur: et iuvans mortalis mortalem Deus appellatur (PLIN. *II*, 7.)

Ad magnitudinis autem divinae ſpeciem, quam ipſe Deus mentibus noſtris impreſſit, vt ad eius normam omnis magnitudo inter homines iudicaretur, animus humanus vel effingit verae magnitudinis notionem, vel ipſam magnitudinem iudicat, praeſertim eam, quae regibus et gubernatoribus generis humani conveniat. Eſt enim in iis poteſtatis divinae quaedam imago, ſuntque Dei quidam in terris vicarii: nec vllam in iis veram, et dignam illo faſtigio, magnitudinem agnoſcere debet aut poteſt mens noſtra, recte

et naturae convenienter iudicans, nisi, quae ad divinae illius similitudinem accedat. Iam non sumus ii, qui negemus, intelligi quandam magnitudinem posse, quae nullam habeat coniunctionem cum vtilitate et felicitate humana, vt potentiae, vt ingenii, vt divitiarum, cuius etiam admiratione capta vel vanitas, vel stultitia humana, magnos interdum appellavit eos, in quibus ea inesse existimaretur, vt adulatio quondam Graeca *Alexandrum*, Romana *Pompeium:* in quibus tamen ipsis magis fortunae, quam hominum magnitudo eo cognomine celebrata est: sed sapientes homines nec admirantur, vt quae vel naturae necessitati debeatur, vel fortunae temeritati, nec homines ab ea magnos appellant: immo, si talis magnitudo non adiunctam habeat magnam benignitatem, horremus eam; sin etiam saevitia, malitia, avaritia accedat, odimus et plane pusillam ducimus. Quodsi vero par adiuncta sit benignitas, multis multa tribuens, et potentiae, virium, ingenii, copiarum magnitudinem conferens ad felicitatem multorum privatam, vtilitatemque et felicitatem publicam patriae, generisque adeo humani, tum vero homines magnos agnoscimus, quorum magnitudinem vero animo omnes admirentur atque laudibus efferant, eosque Deo simillimos iudicamus. Neque enim *Milonem* illum Crotoniatam, cuius immensum robur celebratur, in Deorum numerum retulit antiquitas, cum id ille ad meram ostentationem retulisset: at *Herculem* retulit, quod ille robur suum ad pacandum orbem terrarum et securitatem publicam retulisset. Nec in toto illo numero eorum, qui ad Deos translati sunt iudicio hominum, reperitur, quem eo produxerit aliqua talis quantacunque magnitudo, quae aut noxia fuisset, aut inutilis publice: at *beneficiis excellentes viros fama et voluntate in coelum homines sustulerunt.* (Cic. *Nat. Deor. II, 24.*) Nullis victoriis, quamvis magnis, quamvis crebris, *Magni* cognomen publice tribuerunt Romani, quoad libertas duravit, cum honoratissima apud eos fortitudo militaris esset: nam in

Pom-

Pompeio, de quo ante diximus, *a familiari aſſentatione ortum eſt*, auctore Livio (*XXX, 45.*) Sed civile inſtitutum, quod ad concordiam ordinum valuiſſet, et, comitiis ab humillima plebe ad meliorem populi partem translatis, rempublicam ad omne tempus valituro, eoque permagno, beneficio adfeciſſet, *Q. Fabio* cognomen *Maximi* a republica peperit. *Adeo ea res accepta gratis animis, vt Maximi cognomen, quod tot victoriae non pepereraut, hac ordinum temperatione pareret.* (Livius *IX, 46, extr.*)

Graecia, et Europaea et Aſiatica, quibus temporibus ſub regio imperio fuit, non modo tum, cum ad regum adulationem tota effuſa eſſet, ſed etiam melioribus temporibus, nihil maius habuit, quo reges ſuos, vivos mortuosque, extolleret, quam *Evergetae* atque *Soteris* cognomina, ſono magis illa, quam vi et dignitate diverſa. His Macedones, atque Graeci adeo omnes, *Antigonum Tutorem*, regem, vivum mortumque ornaverunt, auctore Polybio (*V, 9. p. 500. ed. Gron.*) *τοιγαροῦν οὐ μόνον ἐκρίθη παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν εὐεργέτης, ἀλλὰ καὶ μεταλλάξας σωτήρ*: *ob eas res non modo illo ipſo tempore Evergeta indicatus appellatusque eſt, ſed etiam poſt mortem Soter.* Enimvero quibus rebus provocati hunc nominibus his inſignem inter ceteros reges ſuos fecere? Nempe benefactis, non modo in pupillum *Philippum*, regno paterno ei conſervando atque reddendo, et Macedonas, ſed in hoſtes victos, Lacedaemonios, quos nullo maleficio adfectos, libertate et legibus redditis, maximis publice privatimque beneficiis cumulaverat: vnde et Græci eum maximum regum exiſtimaverunt, et omnibus humanis honoribus maiorem, ſed etiam Polybius dignum iudicavit, cuius lenitatem et benignitatem regibus omnibus, ad veram et regiam gloriam adſpirantibus, imitandam proponeret, egregie et late diſputans (*l. c.*) quanto maior in regibus bonitas ſit, quam potentia, vis, et maximae victoriae: *βασιλέως ἔργον ἐστὶ, τὸ πάντας εὖ ποιοῦντα διὰ τὴν εὐεργεσίαν καὶ φιλανθρωπίαν ἀγαπώμε-*

πώμενον ἑκόντων ἡγεῖσθαι, καὶ προςατεῖν: regis proprium eſt, omnibus benefaciendo propter benignitatem et manſuetudinem amari, et volentibus imperare. (*l. c. c. 11. p. 502.*) Eſt enim inſitum animis humanis, penitusque infixum ſenſibus, vt omnibus aliis rebus maiorem habeant benignitatem, eiusque laude omnium aliarum rerum gloriam obrui putent. Nominis illius magnitudinem diminuit, ſplendorem que obſcuravit et regum ipſorum vanitas, qui hoc nomen nulla de cauſſa, velut inſigne regii faſtigii, vſurparent, et aſſentatorum humilitas, qui eo reges ſuos promiſcue, etiam *Phyſcones*, ornarent: ſed illa ipſa et vanitas regia, et adulatoria levitas arguit, nihil maius eſſe in laudibus humanis *Evergetae* nomine, nihil maius in regibus, quam eo nomine dignum eſſe. Neque enim aut regiae fortunae ſuperbia arrogat ſibi, niſi ſumma, aut aſſentationis profuſio tribuit, niſi maxima.

Quid autem? Romana illa, victoriarum et bellicae laudis avidiſſima gens, an aliter de magnitudine humana iudicavit? Immo vero, vt antea innuimus, nihil maius benignitate putavit, eamque virtutibus humanis omnibus, praeſertim in iis, qui rempublicam adminiſtrarent, longe praetulit, nihil ea re detractum putans ceteris magnis virtutibus, quas et appeteret ipſa, et admiraretur magnopere, ſed benignitatis ſatellites et miniſtras vellet. Etenim PATRIS PATRIAE nomen, quod primi in honore Principibus habendo vſurpavere Romani, quo pertinet, niſi ad benignitatem et indulgentiam, (Plin. *Paneg. 21.*) quae iproſit, quantum poteſt, omnibus, et prodeſſe cupiat gaudeatque mirifice, imiteturque Patrem generis humani, Deum? Sed eius nominis honorem omnibus aliis praetulerunt, hunc ſummum, qui Principi haberi poſſet, ſtatuerunt. Primum eo honore inſignem fecit *Ciceronem*, non quaeſita ingenio, et excogitata adulatio paucorum, ſed beneficii recentis magnitudine plenum, et amore grato redundans populi vniverſi pectus; quod omni adulatione eſt ingenioſius, laudes-

desque tanto magnificentiores parit, quanto veriores. Nec maius aliquid vel *Catonis* ingenium, vel *Catuli* totiusque Senatus sapientia potuit reperire. Sed ille honos quantus fuerit, cui melius credemus, quam *Caesari* Dictatori, bellicis laudibus cumulatissimo, earundemque amantissimo, et *Ciceronis* quondam hosti? qui *Ciceronem* tum adeptum esse *lauream* scripsit, *omnibus triumphis maiorem*, cum ei etiam, auctore *Catulo*, vt Patriae Patri, supplicatio esset decreta. (PLIN. *Hist. N. VII, 31.*) Sed et Caesares satis ostenderunt, nihil maius esse, in honoribus humanis, Patris Patriae nomine, et ceteri ita iudicaverunt. SVETONIVS quidem (CAES. *76.*) in nimiis honoribus, quibus accipiendis invidiam sibi conflarit *Caesar* Dictator, cognomen Patris Patriae numerat. Et hic est ille *Caesar*, cuius fortunam nihil maius habere, dixerat CICERO, (*Ligar. extr.*) quam quod posset, naturam autem nihil melius, quam quod vellet servare quam plurimos. Sed huic *Caesari* mortuo cum vellent, id quod facile intelligitur, honorem habere maximum ii, qui morte eius dolerent, nihil maius invenire potuit ingeniosus dolor, Parentis Patriae nomine, quo vno inscripsere columnam ei in foro positam (SVETON. *Caes. 85.*) brevissimo sane elogio, sed omnes alias laudes vel complexo, vel supergresso. *Augustus* quidem, cum omne genus etiam immoderati honoris recepisset, sero demum, Consulatu tertiodecimo, consensu populi oblatum illud nomen, cum primo recipere, per modestiam, sive veram, sive simulatam, recusasset, deinde a Senatu per *Messalam* delatum recepit, sed lacrimis prae gaudio manantibus, sed vt, *compotem se votorum suorum factum*, diceret, adeptum quod summum vel expetere, vel sperare Princeps posset: (SVET. *Aug. 58.*) quod ei, vt finem principalis gloriae, promiserat iuste et benigne imperanti *Maecenas*, auctore DIONE CASSIO. (*Lib. LII. p. 439.*) De *Tiberio* autem, arrogantissimo Imperatore, hanc opinionem fuisse, auctor est SVETONIVS (*Tib.*

67.) quod Patris Patriae nomen accipere in principio imperii (annum alterum fuiſſe diſcimus e TACIT. *Annal. I, 72.*) obſtinatiſſime recuſarit, id feciſſe callidum et ſuae acerbitatis avaritiaeque conſcium hominem, ne mox, maiore dedecore, impar tanto honori reperiretur. *Traianum* denique, PLINIVS auctor eſt, (*Paneg. 21.*) huius nominis honorem, propter modeſtiam, vnum ex omnibus, qui in eum congererentur in principio imperii, non ſtatim admiſiſſe, ſed, dum eius magnitudine dignum ſe factis probaſſet, diſtuliſſe. Quid? quod etiam mortuis, et in Deorum numerum relatis Imperatoribus, ſicuti Romulo, cum DIVI praenomine; PATRIS cognomen tributum, numi *Caeſarum* docent, (v. SPANHEM. *de Vſ. et Pr. N. Diſſ. XII. p. 448.*) vt vnam humanarum appellationum, quae divinitate digna videretur, et poſitis ceteris omnibus, veluti mortalitatis quadam labe infectis, atque in terra relictis, vna in coelum tranſiret.

Enimvero, vt vere et proprie magni, immo maximi Principes ſunt, qui ſunt optimi et indulgentiſſimi, et veri Parentes Imperii ſui, ita iidem ſoli vere felices, non ſua modo privata, ſed etiam ſuorum publica felicitate, qua nihil magis ſuum queant dicere: ſi noſtrum eſt, cuius auctores ſumus, quo pro noſtro vti fruique licet. Nam vt parentes naturales non modo ſua bona cum liberis, etiam vivi, libenter partiuntur, iisque, magis liberorum, quam ſua cauſſa, gaudent, ſed etiam eorum virtutem felicitatemque ſuam ducunt, eaque vt ſua, et prope magis quam ſua, delectantur: ſic Parens Populi magni Communis incredibiliter laetetur neceſſe eſt, cum ſe non modo ipſum in omnium bonarum rerum affluentia a fortuna conſtitutum ſentit, vnde plurimum, ſine detrimento ſuo, ad quam plurimos manare poſſit, ſed etiam infinitam hominum multitudinem ſua benignitate et indulgentia videt beatam, non ſuo modo, ſed ipſorum iudicio, eſſe. Et haud ſcio, an magni animi Principi haec aliena, ſi tamen

alie-

aliena, iucundior multo, quam illa ſua felicitas videatur: cum illam intelligat, maxima ſui parte fortunae, hanc conſilio et benignitati, hoc eſt, ſibi deberi. *Auguſtus* quidem, etiam in imbecilla valetudine illa, quae ei mortis cauſſa fuit, admodum exhilaratus eſt, cum Puteolanum ſinum praeternavigantem nautae, qui recens ab Alexandria veniſſent, fauſtis ominibus, et his laudibus (eximias vere appellat SVETONIVS *Aug. 98.*) proſequerentur: *per illum ſe vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.* Hoc erat illud, quod ei promiſerat *Maecenas*, ſi iuſte benigneque imperando ſe Parentem populo Romano praeſtaret. Τούτου δὲ δὴ οὕτως ἔχοντος, πᾶσά σε ἀνάγκη καὶ ἡδέως βιῶναι. Τί μὲν γὰρ ἥδιον, τί δὲ εὐδαιμονέστερόν ἐστι τοῦ πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν μετ᾽ ἀρετῆς, ἀπολαύοντα καὶ τοῖς ἄλλοις αὐτὰ διδόναι δύνασθαι: *quid enim dulcius, quid beatius, quam cum virtute omnibus humanis bonis fruentem iisdem alios quoque impertiri poſſe?* apud DIONEM *l. c.*

Sed hanc talem, ſimilem divinae, hoc eſt, veriſſimam amabilemque magnitudinem venerabunda ſpectat in REGE ſuo Dania, hanc magnificam, regioque faſtigio digniſſimam felicitatem laetiſſima gratulatur IPSI, et vero etiam ſibi. Neque enim aliam REGIS, aliam ſuam novit felicitatem: ſuam REGIS videt eſſe, regia fruitur vt ſua. Eius paterna diligentia et indulgentia pacem ſecuram agit, divinae humanaeque ſapientiae ſtudia indies effloreſcere laetius videt, bonam rerum omnium copiam e mercatura, ex artibus omnibus redundare ſentit. Hanc Patriae ſuae felicitatem et antea intellexere, et, vt ſupra diximus, cum maxime, quamvis procul ab domo, ſentiunt, et Patriae ſuae gratulantur Cives noſtri e Dania. Quo magis exiſtimant, eſſe ſuae pietatis, eum ſenſum proferre in publicum, eoque proferendo vtcunque gratum adverſus PATRIAE ſuae PARENTEM animum declarare. Huius gratae laetitiae pie-

tatisque suae interpretem esse voluerunt PAVLLVM VIDALINVM Islandum, iuvenem doctum et disertum. Is proximo die Iovis, qui est REGI DANIAE natalis, in Auditorio nostti Ordinis, ab hora nona, recitabit Orationem, qua felicitatem Imperii Danici demonstret, et vota pro salute et prosperitate REGIS optimi nuncupet, per cuius sapientiam et indulgentiam ea felicitas vel nata, vel firmata, vel aucta est. Huic igitur Oratori vt frequentiam praestent RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQVE CIVITATIS PROCERES, Vniversique Academiae Cives, et eorum verbis, qui eum suae pietatis interpretem constituerunt, et nostri Ordinis nomine etiam atque etiam rogamus. Aequum est, illam tam laudabilem pietatem quam plurimos testes habere. REGIS Daniae aurem laudibus nulla alia in terra magis debet faveri, quam in hac nostra, cuius PRINCEPS communes cum illo maiores habet, vt Daniae felicitatem quodam modo nostram debeamus putare, et in societatem laetitiae Danorum publicae venire. Atque etiam illa oratione audienda vel commovebitur, vel potius inflammabitur fidele desiderium absentis, heu nimium diu! PATRIS PATRIAE nostrae indulgentissimi, faciemusque vero animo vota, vt ille quam primum nobis, veluti post longae hiemis asperitatem et tristitiam, vernalis teporis lenitas amoenitasque, et cum eo pax, tranquillitas, bona copia, felicitas publica restituatur. P. P. Dom. Iudica A. C. CIↃIↃCCLVII.

PAVLLVS VIDALINVS

ISLANDVS

LECTORI SVO

S. P. D.

Cum in hunc librum ea iam fere congesserimus, quae illius felicissimi diei REGI nostro natalis celebrandi caussa hic Lipsiae scripta fuerunt, restat, vt pauca quaedam adhuc afferamus, quae aliquos saltem ex Lectoribus forte non ignorare iuuabit, quaeque iam statim sub initium libri monuissemus, si id locus et instituti ratio permisissent.

Equidem, quum gratissimum animum pro Augustissimi REGIS erga patriam meam meque ipsum benefactis palam declarandi cupiditate iam olim flagrassem, cumque ad hanc rem festus ille omnibus nostratibus sacerque REGE nato dies omnium aptissimus videretur; eam occasionem arripiendam mihi esse arbitrabar. Hoc itaque consilium cum vni ex popularibus mihi amicissimo detexissem, impetrassemque vt is reliquis proponeret, mirum est quanta facilitate ab omnibus probaretur, et quidem ita, vt quisque suam partem ad id perficiendum conferre libentissime decerneret: nullus enim erat, qui non amorem gratiamque PATRIAE PATRI debitam id a se animaduerteret requirere, vt in ILLIVS honorem, quidquid posset, suscipere et impendere non dubitaret: inde omnes mihi illud munus imposuerunt, vt me communis erga REGEM venerationis interpretem qualemcunque praestarem, quod nisi obtulissent, iam ipse fueram petiturus. Mox ab Amplissimo Philosophorum ordine orationem habendi, posteaque a Serenissimo Potentissimoque Poloniarum Rege Principe Saxoniae Electore concentus musicos ei adiungendi, licentiam obtinuimus: quae ipsorum erga nos benignitas eo maior fuit, quum hoc festum in id tempus incideret, quo non modo hae regiones belli incommodis premebantur, sed etiam, moribus et sacris nostris ita suadentibus, ne in ipsis quidem templis fidium et tibiarum vsus adhiberi consueuit. Debemus id praeterea viro summe venerando et excellentissimo, Io. Aug. Ernesti, Ord. Philosoph. eo tempore Decano, quod pro sua erga nos in illustri hac Academia hospites prorsus singulari humanitate effecerit, vt tam inter procedendum quam inter orationem habendam honorificentissimus locus nobis concederetur, immo offerretur: Rectori autem Magnifico, Illustrissimis Comitibus, caeterisque huius Vniuersitatis Proceribus obstrictissimi sumus, quod non solum orationem prolixiorem beneuole et patienter audire, sed etiam primarii ex illis vt et ex illustribus et generosissimis Academiae Ciuibus multi interesse postea modico conuiuio et hilaritati nostrae non dedignati fuerint: quem insignem honorem nobis habitum,

vt et omnia quae nobis hac vice contigerunt bona, nec ſoli fortunae, multo minus noſtris meritis, ſed illi amori et venerationi adſcribendum ſcimus, quem Potentiſſimo REGI noſtro non ſecus inter peregrinos quam SVOS admirabilis IPSIVS ſapientia et benignitas pepererunt.

Sed iam exponenda venit mei opuſculi ratio. In priori Odes meae parte, quae ante orationem canebatur, Daniam et Noruegiam ſorores induxi, quae initio, quaſi illius diei laetiſſima luce expergefactae, ſe ipſas inuicem, deinde filios ſuos omnes, ad laudes optimi REGIS precesque pro IPSIVS perpetua incolumitate dicendas excitarent. His ego vnus ex earum filiis quaſi audiens procul patriae noſtrae communis laetitiam et iuſſu illarum matrum oratione mea reſpondi; in cuius fine rogaui, vt auditores noſtris pro ILLIVS REGIS MAIESTATE votis ſua etiam adiungerent: inde mihi rurſus a choro reſpondebatur, qui omnium tam Danorum et Noruegorum quam etiam exterorum REGI noſtro addictorum perſonam ſuſtinens ita quaſi multas gentes ſiſtebat, et in his viros feminis pueros ſenibus mixtos, et omnes ſimul in hoc vnum intentos, vt Deum optimum maximum hymno pro ſempiterna REGIS felicitate ardentiſſimis precibus orante communiter venerarentur. Imitari in hoc volui choros illos, quos apud Senecam in Tragoediis multos inuenimus; in priori autem Odes parte imitatus ſum Horatii Carm. lib I. od. XXI. quam eodem modo alternis verſibus a pueris et virginibus cantatam fuiſſe ſingulari diſſertatione probauit Vir Conſultiſſimus Io. Petr. Ancherſen, in Vniu. Reg. Hafn. Eloqu. Prof. Publ. Caeterum in ſcribendo nunquam mihi propoſui, Ciceronem aut Horatium aut Ouidium ita anxie et pueriliter ſequi, vt nihil dicerem, niſi quod ex illis eſſet deſumtum; aliis iſtam ſuam ſollertiam relinquo, ſatis contentus linguae analogiam, artisque grammaticae rhetoricae et poëticae praecepta, earumque genium, quantum poteram, obſeruaſſe atque expreſſiſſe. Longior aliquanto facta eſt oratio mea, quam fert noſtrorum temporum conſuetudo: ſed nec vnquam audiui id bonae orationis ſignum eſſe, ſi horae limitibus terminetur; nec id a veteribus obſeruatum inueni, quorum orationes plurimae multo longiores ſunt, quod vel ex ſolo Plinii panegyrico ſatis liquet: neque aliter id ferebant prolixiſſima REGIS erga nos benefacta, quae mihi recenſenda ſumſeram; at ea quo prolixiora erant, eo magis honorifica, et eo minus ſilentio premenda: et tamen ſingula verbis quantum licuit breuiſſimis enarraui; nihil enim ipſi mihi magis odio eſt, quam multae in rebus facilibus clarisque ambages. Panegyricam orationem dicere non promiſi, ſed benefacta REGIS tantummodo enumerare, nec omnia, ſed ea ſolum, quae Islandiam concernerent; itaque grandia profiteri nolui, quanquam haec iam ſatis ſuperque erant grandia, et plus materiae orationi praebebant, quam ea paene recipere potuiſſet. Deſcriptionem Islandiae breuiſſimam beneficiis recenſendis praemiſi, vt non prorſus neſcirent auditores, quae eſſet illa inſula, de qua a REGE tot beneficiis cumulata iam eram dicturus, neue illi ne-

ceſſe

cesse haberent eius cognitionem ex vanis istis fabulis et fictionibus petere, quibus maleuoli homines, vt peregrini de nobis minus bene sentirent, efficere sategerunt. Neque vitio mihi vertatur, quod nonnulla etiam in aliquorum bene merentium virorum laudem protulerim: omnes enim eorum singulorum laudes REGIS laudes sunt, cuius sapientia eos dignos censuit, quibus res publica et eius bona curanda crederentur. Condonent autem etiam mihi, siqui sunt, quorum mentionem in hac oratione aliter fecerim, quam ipsi forsan optassent: etenim id feci verbis, quantum potui, lenissimis; et si acrior fuissem, cur iis parceremus, qui patriae nostrae opibus famaeque tam parum pepercerunt, aut cur obligemur, nihil aliud dicere, quam quod publice nihil referat nihilque prosit, non video, praesertim siquid sit, quod tum ipse orationis scopus atque integritas, tum praecipue patriae res et gratia SVMMO BENEFACTORI referenda omnino non praetermitti sinant. Neque id quisquam aegre ferat, quod meorum studiorum rationem paullo clarius ediderim: namque id veterum exemplis non caret, qui in ipsis etiam panegyricis, vbicunque res id postulare videretur, de se ipsis aliquid afferre non dubitarunt, quod in Isocrate huius generis oratorum principe satis luculenter apparet: et ego quidem id ea propter facere sustinui, vt monstrarem, has etiam artes a REGE fulciri, quas nonnulli inter peregrinos aut omnino aut paene ignotas in Dania nostra esse, incultasque iacere, vel etiam suis aestimatoribus et promotoribus destitui arbitrantur: atque certe si illa studia nullius haberi mererentur, sique vel in non indigum, vel in prorsus indignum, illud regium beneficium incidisset, sapientissimi REGIS in iis sublevandis munificentia iam minus bene collocata minusque laudanda potuisset videri: quod ne ita esse vnquam probetur, omnibus viribus, dum viuam, allaborabo.

Picturae, quae tabula aenea principio Odes impressa est, haec est sententia. Altari in medio posito duae sorores adstant, Dania et Noruegia: quas in ode ipsa colloquentes induxi: quaeque Deum immortalem thure ex pateris igni infuso venerantur, et pro perpetua optimi REGIS salute orant: harum vtraque coronam in capite gerit muris et turribus insignem, qualem Cybele mater deorum in veterum monumentis habet, vt inde appareat, has deas regionum esse: et praeterea a suo quaeque genio tutelari superius volante regni sui scuto protegitur. Ad dextrum latus puer vnus in rebus ad mathesin et alias profundioris doctrinae partes pertinentibus versatur, inter quas est tabula geographica regnorum Daniae et Noruegiae: alter autem tabulam pictam, chartam cum notulis musicis et alia ad humaniores et elegantiores litteras spectantia exhibet: et ab his non procul absunt alii multi pueri, qui se floribus ornant, choreasque ducunt, quasi ad ostendendam suam de nato PATRIAE PARENTE laetitiam. Ad laeuam alii pueri sunt, qui artes operosas et commercia sibi curae esse monstrant: vnus merces varias tractat et obseruat: alter remum gerit, nauigandi scientiam significaturus: alter cornu copiae floribus fructibus-

que et numis plenum effundit, illam copiam, quae ex his artibus exſiſtit, demonſtrans: et ab his paullo remotiores paſtores cum grege ſuo conſpiciuntur, qui optimi PRINCIPIS laudes gracili modulantur auena. Poſt hos omnes adhuc remotior eſt Parnaſſus cum Apolline et Muſarum choro REGIS laudes etiam celebrantibus, cuius erga eos benignitas, vt iam in Daniam prorſus migrauerint, ibique quaſi nouum Parnaſſum ſibi poſuerint et ſtabiliuerint, effecit: atque hi vna cum pueris illis regnorum gemellorum filiis eum chorum conſtituunt, qui in ode noſtra tertiam agit perſonam: in ſuperiori autem iugo templum Apollinis eſt, vna cum Pegaſo et Hippocrene poëtis celebratiſſima. Altera tabula, quae frontem orationis ornat, Potentiſſimi REGIS imaginem ſiſtit: quam Thule gregem ſuum paſcens ſupplex veneratur, et pro illius mitiſſimi DOMINI felicitate conſeruanda diuinam prouidentiam orat, cuius oculus ſuperne REGIS imaginem totamque regionem ſuis radiis illuſtrat: votum autem mulieris genius eius tutelaris ſaxo inſculpit: quem ipſa ideo manu dextra, ſiniſtra autem deuotiſſimum REGI pectus demonſtrat. Caeterum montes vallisque amne irrigante fertilis, qualis noſtrae inſulae facies eſt, hic conſpicitur, et in ea ager noualis, domusque peregrinorum more exſtructa, et duae naues mercatoriae a Potentiſſimo REGE publicis vſibus donatae: quorum omnium rationem ex ipſa oratione lectores facillime videbunt. Arma nullibi in his tabulis pingi curauimus: eam enim felicitatem ſecundum Deum quidem huius tam pacifici et amabilis PRINCIPIS prouidentia hucuſque patriae noſtrae praeſtitit, vt illorum vſu opus nobis non fuerit; optamusque, vt triſtiſſima iis vtendi neceſſitas a patriae finibus exſulet quam diutiſſime.

Tandem iam opuſculo hoc ad finem perducto enixiſſime te rogo, Lector beneuole, vt ſi quid tibi non diſplicuerit, id omne Auguſtiſſimo REGI patriaeque et popularibus meis tribuas: quorum omnium amore ita me teneri inflammarique ſentio, vt in eorum honorem nihil non auderem ſuſcipere, ſi modo aliquid in meis viribus eſſet, quo eum promouere poſſem. Sin aliqua delicta a me offenderis; ea non negligentiae ſed imbecillitati meae adſcribas, ita tamen vt ſimul veniam des per tuam humanitatem oranti; cogitesque haec, qualiacunque ſint, quae hic ſcripta vides omnia, excepto programmate, ſine vllo laboris ſocio a me quidem non harum litterarum magiſtro aut profeſſore ſed ſtudioſo tantum atque tirone eſſe confecta. Spero autem fore, vt ſi vel omnia tibi diſplicuerint, propoſitum tamen et conatus non improbentur: quibus ſi faueas, efficies, vt aliquando forte deſinam tiro eſſe, nunquam autem deſinam eſſe litterarum tuique ſtudioſiſſimus. Vale. Scripſi Lipſiae VII. Idus Maii A. C. CIϽ IϽCCLVII